Quaestiones grammaticae ad vetustam translationem libri Hippocratis, qui inscribitur “περὶ ἀέρων, ὑδάτων, τόπων“ pertinentes.

DISSERTATIO INAUGURALIS

quam ad summos in philosophia honores
ab amplissimo philosophorum Marpurgensium ordine
rite impetrandos

scripsit

Josephus Wenz

Cambergensis.

Marpurgi Chattorum 1935

Typis Joh. Hamel

Ad philosophorum ordinem de dissertatione probanda
rettulit Ernestus Lommatzsch.

Examen rigorosum habitum est a. d. III Kal. Iun. 1934.

Dissertationem ex auctoritate ordinis typis mandatam
esse testatur

Gualtherus Mitzka
h. a. decanus.

Argumentum.

Index librorum, qui saepius afferuntur.

Ahlquist = H. Ahlquist, Studien zur spätlat. Mulomedicina Chironis. Diss. Uppsala 1909.

ALL = Archiv für lat. Lexikographie und Grammatik, herausgegeben von E. Wölfflin I—XV.

Anglade = J. Anglade, De Latinitate libelli qui inscriptus est Peregrinatio ad loca sancta. Parisiis 1905.

Appel = E. Appel, Beiträge zur Erklärung des Corippus mit besonderer Berücksichtigung des vulgären Elementes seiner Sprache. München 1904.

Baehrens = W. A. Baehrens, Sprachl. Kommentar zur vulgärlat. Appendix Probi. Halle 1922.

Bechtel = Edw. Bechtel, Sanctae Silviae Peregrinatio the text and a study of the latinity. Chicago 1902.

Bellanger = L. Bellanger, In Antonini Placentini itinerarium grammatica disquisitio. Parisiis 1902.

Blatt = Fr. Blatt, Die lat. Bearbeitungen der Acta Andreae et Matthiae apud anthropophagos (Beihefte zur Zeitschrift für neutestamentl. Wissenschaft 12). Gießen 1930.

Bonnet = Le Latin de Grégoire de Tours. Thèse Paris 1890.

Brinkmann = Joh. Brinkmann, Vetusta Hippocratis libri περὶ ἀέρων, ὑδάτων, τόπων inscripti versio Latina ad codicum fidem recensita. Diss. Monasterii 1922 (non publici iuris facta).

C Gl L = Corpus Glossariorum Latinorum ed Goetz. Lipsiae 1899.

CMG = Corpus medicorum Graecorum vol. I,1 Lipsiae 1927.

Carnoy = A. Carnoy, Le Latin d'Espagne d'après les inscriptions. Bruxelles 1906.

Corssen = W. Corssen, Über Aussprache, Vokalismus und Betonung der lat. Sprache². Leipzig 1868—70.

Diehl = E. Diehl, Coniectanea (Papyrusstudien und andere Beiträge). Innsbruck 1914.

Diez = F. Diez, Grammatik der roman. Sprachen. Bonn 1882.

Diller = H. Diller, Die Überlieferung der hippocrat. Schrift π. ἀ. ὑ. τ. Philologus Suppl. XXIII,3 (1932)

Du Cange = Glossarium mediae et infimae Latinitatis. 1883—87.

Edelstein = L. Edelstein π. ἀ. ὑ. τ. und die Sammlung der hippocrat. Schriften. Problemata tom. 4.

Elss = H. Elss, Untersuchungen über den Stil und die Sprache des Venantius Fortunatus. Diss. Heidelberg 1907.

Forcellini, Lexicon totius Latinitatis. Pataviae 1864—87.

Freudenmann = K. Freudenmann, Beiträge zur Überlieferungsgeschichte der hippocrat. Abhandlung, π. ἀ. ὑ. τ. Diss. Tübingen 1921.

Gamillscheg = E. Gamillscheg, Etymolog. Wörterbuch der französ. Sprache. Heidelberg 1928.

Geyer = P. Geyer, Kritische und sprachl. Erläuterungen zu Antonini Placentini itinerarium. Augsburg. Progr. 1892.

Glotta = Zeitschrift für gr. u. lat. Sprache. Göttingen 1909.

Grandgent = C. H. Grandgent, An introduction to Vulgar Latin. Boston 1907.
Grevander = S. Grevander, Untersuchungen zur Sprache der Mulomed. Chir. Diss. Lund 1926.
Gundermann = Hippocratis de aëre, aquis, locis. Mit der alten lat. Übersetzung. Lietzmann, kl. Texte (77), Bonn 1911.
Haag = O. Haag, Die Latinität Fredegars. Erlangen 1898.
Hunger, Die Syntax des spätlat. Oribasius. Diss. Breslau 1933.
Jacoby, Zu Hippocr. π. ἀ. ὑ. τ. Herm. 46 (1911) p. 518 sqq.
Kühlewein, Die Schrift π. ἀ. ὑ. τ. in der lat. Übersetzung des cod. Paris. 7027. Herm. XL (1905) p. 248 sqq.
Liechtenhahn, Sprachl. Bemerkungen zu Marcellus Empiricus. Diss. Basel 1917.
Linderbauer, St. Benedicti Regula Monachorum. 1922.
Lindsay-Nohl, Die lat. Sprache. Leipzig 1907.
Löfstedt: peregr. = Philolog. Kommentar zur Peregr. Aetheriae. Leipzig 1911.
Studien = spätlat. Studien. Uppsala 1908.
Beiträge = Beiträge zur Kenntnis der späteren Latinität. Diss. Uppsala 1907.
Syntactica, vol. I et II (1928, 1933).
Kritische Bemerkungen zu Tertullians Apologeticum. Lund 1918.
Marbach, Wortbildung, Wortwahl und Wortbedeutung als Mittel der Charakterzeichnung bei Petron. Diss. Gießen 1931.
Medert, Quaestiones criticae et grammaticae ad Gynaecia Mustionis pertinentes. Diss. Gissae 1911.
Meyer-Lübke, REW = Roman. etymolog. Wörterbuch. Heidelberg[3] 1930—33.
„ Einführung in das Studium der roman. Sprachwissenschaft. Heidelberg 1901.
„ Grammatik der roman. Sprachen I—III Leipzig 1890—99.
Moerland = H. Moerland, Die lat. Oribasiusübersetzungen. Osloae 1932.
Mras = K. Mras, Sprachl. u. textkrit. Bemerkungen zur spätlat. Übersetzung der hippocrat. Schrift von der Siebenzahl. Wiener Studien 41 und 42 (1919) p. 61 sqq; p. 181 sqq.
Müller-Marquardt, Die Sprache der alten vita Wandregiseli. Diss. Halle 1912.
Niedermann, Über einige Quellen unserer Kenntnis des späteren Vulgärlateinischen. (Neue Jahrb. vol. XXIX 1912 p. 313 sqq.).
„ Notes critiques sur la version latine du π. ἀ. ὑ. τ. Revue de Philologie 41, 1907 p. 221 sqq.
Pirson = J. Pirson, La langue des inscriptions latines de la Gaule. Bruxelles 1901.
La syntaxe du verbe dans la Mulomedicina Chir. (Festschrift zum XII. Neuphilologentag in München) Erlangen 1906 p. 390 sqq.
Roensch = Itala u. Vulgata[2]. Marburg 1875.
Roscher, Die hippocrat. Schrift von der Siebenzahl in ihrer vierfachen Überlieferung. Paderborn 1913.
Salonius = Vitae Patrum. Lund 1920.
Schanz = Gesch. der röm. Literatur VIII,4.
Scheifler = Quaestiones Commodianeae. Diss. Vratislaviae 1908.
Schuchhardt = Der Vokalismus des Vulgärlateins. vol. I—III. Leipzig 1866—68.
Seelmann = Aussprache des Latein. Heilbronn 1885.
Sommer = Handbuch der lat. Laut. u. Formlehre[2]. Heidelberg 1914.
Stolz-Leumann u. Schmalz-J. B. Hofmann = Lat. Grammatik im: Handbuch der Altertumsw. II,2[5] München 1928.

Svennung = J. Svennung, Orosiana. Diss. Upsalae 1922.
ThLL = Thesaurus linguae Latinae. Lipsiae 1900.
Werner = Die Latinität der Getica des Jordanis. Diss. Halle 1908.
Wölfflin, Lateinische u. Roman. Komparation (Ausgewählt. Schriften Leipzig 1933 p. 126 sqq.)
„ Über die Latinität des Africaners Cassius Felix (ibidem p. 193 sqq.)
„ Bemerkungen über das Vulgärlatein (ibidem p. 103 sqq.)

Aliae disputationes, quibus utor, ex adnotationibus cognoscuntur. Loci ipsi secundum paginas editionis Gundermannianae citantur.

Nusquam melius quam in medicorum arte Romanos Graecorum disciplinam studiose secutos esse demonstratur. Quod rebus gerendis acres et industrii erant, vix facere poterant, ut operam studio litterarum navarent, eo potissimum tempore, quo quaevis scientia omnino magis magisque macrescere coepit. Itaque, cum humanitas Graeca decresceret, non erat mirum, quod antiquitate exeunte copiam medicorum Graecorum versionum reperimus[1]). Quarum sunt translationes Caelii Aureliani (ed. V. Rose, Anecdota Graeca et Graecolatina vol. II), Cassii Felicis opera (anni 447, ed. Rose 1879), Anthimus (Liechtenhan CML vol. VII,1), denique librorum Hippocraticorum anonymae translationes, velut περὶ ἑβδομάδων, περὶ φύσιος ἀνθρώπου, περὶ διαίτης, προγνωστικόν, περὶ ἀέρων, ὑδάτων, τόπων. Item Galeni libri in linguam Latinam conversi sunt, praeterea Oribasii, archiatri imperatoris Juliani, et Alexandri Tralliani.

Quarum multae a monasterii Vivariensis monachis auctore Cassiodoro confectae sunt[2]), cuius verba hoc loco afferre liceat: "Quod si vobis non fuerit Graecarum litterarum facundia, imprimis habetis herbarium Dioscoridis, qui herbas agrorum mirabili proprietate disseruit atque depinxit. Post haec legite Hippocratem atque Galenum Latina lingua conversos, id est Therapeutica Galeni ad philosophum Glauconem destinata, et anonymum quendam, qui ex diversis auctoribus probatur esse collectus. Deinde Aurelii Caelii de Medicina et Hippocratis de herbis et curis diversosque alios de medendi arte compositos, quos vobis in bibliothecae nostrae sinibus reconditos, deo auxiliante dereliqui."

Quae medicorum litterae nobis maximi momenti sunt cum quod his monumentis Graecorum scientia medio aevo tradebatur, tum quod hi libri grammatico usui sunt testes eius linguae Latinae, quae vocatur vulgaris, quae in rebus phoneticis, formis, in syntaxi multum discrepat ab elegantia Ciceroniani sermonis et a Prisciani praeceptis. Quae porro sunt testimonia eius linguae Latinae status, unde postea linguae Romanenses derivatae sunt, quarum formas, locutiones, constructiones grammaticas iam hic quasi nascentes videmus.

Hos interpretes non fuisse medicos, certe non doctos medicos plane liquet. Nam neque intellexerunt ipsas res, quas convertebant, neque litteris grammaticis eruditi erant. Inde apparet linguae colorem harum translationum elementis vulgaribus[3]) imbutum esse, prout interpres doctus erat.

---

1) Schanz VIII,4,2 p. 272 sq.
2) Regenbogen N. Jahrb. 1921 p. 186; Diller p. 50.
3) Quo vocabulo omnes sermonis gradus inde a familiari usque ad rusticum comprehendi velim. Cfr. Wölfflin Ausgew. Schriften p. 104.

Ut iam supra dictum est, in numero earum versionum, quae exeunte antiquitatis tempore ortae sunt, libellus Hippocraticus, qui inscribitur περὶ ἀέρων, ὑδάτων, τόπων, habendus est. Qui bis in Latinum transversus est (item Oribasius), ultimum ex lingua Arabica in Latinum[4]).

In hoc opusculo vetustae translationis genus dicendi perscrutari mihi in animo est. Lingua eius praebet gravissimum documentum sermonis Latini vulgaris posteriorisque, qui nusquam dilucidius quam hic elucet. In hac omnes fere linguae cottidianae proprietates adhibitas reperimus, quae ex Plauti temporibus in lingua vulgari existunt. Vix alius libellus, qui cum ea comparari possit, linguam paulatim dilabentem tam accurate monstrat, cum alibi tum in pronominibus, in particulis usurpandis et praecipue in gradibus comparationum confundendis, id quod in nullo scripto vulgari crebrius exstat.

Qui etiam testimonio eius rei est, utriusque linguae scientiam, quam Romanis ex Catonis diebus usitatam esse constat, vergente aetate semotam esse. Nam doctrina interpretis valde exigua est. Verba Graeca, quae non satis intellegebat, voce Graeca conservata expressit vel e more Latino declinavit (cfr. 27,1 σφακέλους; his faciles mox P, his facilissimum A), ut saepissime eo auxiliante textus Graecus restitui posset, qui codicibus s. XII et XIII demum traditus est.

Versio autem ipsa duobus codicibus saeculo X conscriptis conservata est, et ea perfecte in codice Parisino lat. 7027 f. 13 v / 32 v[5]). Qui abundat multis correcturis alterius manus, quae ad textum recensendum nullius momenti sunt; continet praeter parvas lacunas, velut p. 44,2 usque ad p. 44,8, ubi lacuna per ὁμοιοτέλευτον orta est, permagnam lacunam a p. 12, 25 usque ad p. 14, 29, quae a Gundermanno ex recentiore translatione expleta est. Versio porro codice Ambrosiano G 108 inf; f 19 r/21 v[6]) imperfecta continetur.

Primum a Kuehleweino edita est[7]), qui A, P_1, P_2 respiciebat. Cum vero lingua vulgaris parum investigata esset, hunc virum doctum et nonnullos barbarismos excussisse et multa librariis attribuisse consentaneum est.

Ita fit, ut textum ad normam classicam redigere conatus sit, quamquam ampla viri docti Bonneti disquisitio ad Gregorium Turonensem ei nota esse debuit, aeque atque aliae disputationes virorum illustrium ad linguam vulgarem spectantes.

---

4) Freudenmann p. 18. Haec versio est orta circa medium duodecimum saeculum.

5) Hic codex est descriptus apud Littraeum, Oeuvres complètes, Paris 1840. tom. I p. 384 sqq.

6) Littr. IX p. 430 sq.

7) Herm. 40 (1905) p. 248 sqq.

Niedermannus ad recensendum textum egregias coniecturas attulit[8]. Utilia sunt etiam "Coniectanea" viri doctissimi Diehl[9]. Jacoby singula promulgavit[10], qui in indagandis additamentis longius processisse mihi videtur. Eodem anno editio Gundermanni prodiit, qui ab altera parte textum Graecum, ab altera Latinum secundum codicem P cum lectionibus ceterorum codicum conexum praebet. Etiam emendationes Kuehleweini in ea commemorantur, sed coniecturas Niedermanni ei ignotas esse valde dolendum est. Emendationes Gundermanni ipsius raro sunt felices. Anno 1922 conscripta est dissertatio inauguralis a Brinkmanno, qui recensionem textus conficere sibi proposuit, in prooemio paucis verbis de interpretis lingua agit. Opere meo demum fere composito hanc dissertationem potui nancisci. In linguae disquisitione nonnulla confirmata inveni. Nihilosecius in opusculum meum ea accepi, quod versionis linguam funditus tractaturus sum. Brinkmanus P et A codices in editione spectavit. At lectiones alterius manus (P m2) optimo iure neglexit[11]. Postremo Diller de libro Hippocratis egit[12], ubi praeter cetera etiam de traditione nostrae versionis disputavit, et in p. 51 sqq aliquot exemplis demonstratur, quanti momenti vetus translatio ad textum Graecum restituendum sit.

Quod ad traditionis statum attinet, vix peior exstat ea, quae hic nobis occurrit. In quavis fere pagina menda reperiuntur, quae sine dubio mera quorundam librariorum vitia exhibent; nam manifesto translatio per multorum librariorum manus tradita est[13]. Librarii stulti sensum non comprehenderunt, in suum arbitrium textum permutaverunt, compendia codicum perperam solverunt. Cum menda librariorum frequentissime occurrant, ea singillatim enumerare operae pretium non est. Nonnulla apud Kuehleweinum, alia apud Brinkmannum[14] reperias.

Idem viri doctissimi quaedam librariorum vitia iudicaverunt, quae nihil aliud nisi barbarismi sunt, ad quos in hac disquisitione rediturus sum.

Alia stupiditati interpretis assignanda sunt, qui Graeci parum gnarus erat et tali cum socordia transferebat, ut contextus sententiam minime curaret, sed nonnumquam serviliter verbum e verbo reddens magna cum opera eluctaretur. Auxiliante lexico quodam

---

8) Revue de Philologie 41 p. 221 sqq.
9) op. cit. p. 67 sqq.
10) op. cit. p. 518 sqq.
11) cfr. Heiberg, Herm. 39 p. 142 adnotot: „hat gar keine urkundliche Gewähr."
12) Philolog. Supplement. XXIII,3 (1932).
13) cfr. Kuehleweinum, Herm. 40 p. 248 sq.
14) p. XXII sqq; hic exempla affert, ubi codices aut "et" aut "in" pro "et in" praebent, vel "et in" pro "et" aut "in"; "in" est positum, ubi "et" desideres et vice versa.

aut glossario laboravisse interdum videtur. Menda sensum delentia partim inde originem ducunt, quod interpres false legit, partim etiam, quod textus Graecus, qui in promptu erat, iam corruptus erat. Ex magno numero talium vitiorum aliquot proferre velim[15]: 7,20 interpres confudit εὐρωστέρας cum εὐρυτέρας (latiores); 7,22 quae vocantur (legit ὀνομαζόμεναι pro νομιζόμεναι); 9,20 conprehendens (καταλαμβάνων pro καταλάμπων); 11,10 austrinus (νοτώδης pro νοσώδης). Summam stupiditatem demonstrat hic locus: 5,6 videns strictim decurrere commutationes (εἰδὼς γὰρ τῶν ὡρέων τὰς μεταβολάς). Auctor nostri libelli legisse videtur: εἰδὼς γὰρ τόνῳ ῥέων τὰς μεταβολάς. Satis habeo haec exempla afferre, ut omnino in opusculo meo in tanta testimoniorum copia pauca tantum afferam.

Aliter hi loci iudicandi sunt: 29, 19 montes (τὰ ὡραῖα); 39, 16 montibus (ὡρέων); 39, 2 temporibus (ὄρεσιν), His locis interpres invenit in exemplari Graeco voces "ὡρέων", cum "ὀρέων", "ὡραῖα" cum" ὄρεα" iam confusas propter similem pronuntiationem in lingua Graeca. Etiam in Oribasio hanc confusionem deprehendimus[16]).

Porro attractio formalis, quae vocatur, saepe usurpatur[17]), per quam terminationes insequentium verborum inter se assimilantur. Utrum id aliquid graphici sit an librariis attribuendum sit, discretu non facile est. Haud scio an id posteriore Latinitate usitata sit. Velut: 43, 25 sunt super equos plurimos tempore (τὸ πλεῖστον τοῦ χρόνου); 21, 17 quae ex causi dixi (quae ex causa A); 23, 4 vera aqua (vero ea quae A).

Aliud artificiosae assimilationis genus in casibus confundendis situm est[18]): 33, 10 ad locum rebus coemendum (= coemendis) necessarium (κατὰ τὸ ἐμπόριον); 43, 11 his qui parva possidentibus (τοῖσιν ὀλίγα κεκτημένοισιν); 45, 9 in eo autem, quod inmutati laboris corporis (= inmutat labores corporis); vox "inmutati" ad "laboris" refertur. Hoc loco a Niedermanno dissentio[19]), qui Latini vulgaris rationem sequens se "corporis" in "corpori" emendare posse putabat. Quamquam rectum est iam tempore, quod linguas Romanenses antecedit, vocem "corpus" generis masculini adhiberi[20]), tamen locis inspectis, quibus in "de aëre" "corpus" occurrit, cognoscitur vocem "corpus" genus neutrum conservavisse. — Praeterea de fide utriusque codicis pauca verba facienda sunt. Codex

---

15) De his vitiis aliisque cfr. Diehlium, Coniectanea p. 69 sq.
16) Moerland p. 33.
17) E. Pieske, de titulorum Africae Latinorum sermone quaestiones morphologicae. Diss. Wratislaviae 1913 (passim); Moerland p. 46 [3].
18) De utraque re conferas velim Blattum op. cit. p. 40 sq. et passim. Is eas res sermonis vulgaris proprietates censet.
19) Rev. de phil. p. 230.
20) ThLL IV, 999, 18 sqq.

A textum Latinitati bonae aetatis adaptatum praebet, codex vero P meo quidem arbitrio genuinas lectiones exhibet, id est textui interpretis potius respondentes. Qui praebet saepissime elementa vulgaria, quae interdum ille sustulit, et vice versa, quamvis uterque ad unum archetypum descendat. Quam ob rem Brinkmannum saepius in codice A nixum nonnulla sermonis vulgaris propria delevisse facile concesseris. Tamen mihi fatendum est codicem A interdum meliores lectiones exhibere[21]).

Quod translatio nostra monstrat sermonem Latinum incultum et parum perpolitum, quo scriptores inferioris Latinitatis utuntur, eam isdem fere temporibus ortam esse arbitror, quibus unum ex linguae vulgaris gravissimis documentis, dico Peregrinationem Aetheriae, confectum est, quae a Meistero[22]) saeculo sexto adscribitur. Qua in re nos conscios esse oportet hanc comparationem vacillare, quatenus lingua abbatissae sermoni Ciceronis propinquior est quam noster libellus.

Quodsi indicare volumus, quo loco ea fortasse scripta sit, dialectum certam complectentem Latinam et Romanensem designare non possumus, id quod Sittelius[23]) et Grevander[24]) conati sunt in aliis scriptis vulgaribus. Cum in nostro libello de versionis textu agatur, mihi videtur Italia fuisse ea terra, qua maxime ex Graeco convertebatur.

Quibus praemissis ad propositum accedamus.

Pars prima.

Quaestiones phoneticae.

In omnibus orthographicis librariorum mendis imago litterarum in nostra versione revera praebet pronuntiationem et sermonis vulgaris statum, qui interpretis temporibus exsistebat.

Aliter atque apud Gregorium Turonensem[25]) et Jordanem[26]) littera "a" vim mutavit. Quae est pronuntiata "e"[27]), id quod linguae Romanenses demonstrant[28]) cfr: 37, 10 vehicula . . . . minime quadrirote sunt (= quadrirota).


Ut temporibus transgressionis fieri solet, commutationem litterae "e" ad "a" invenimus. 25, 3 fleumata (flegm-A ta ex te corr.); 35, 25 aquis (=equis); 11, 18 manantes[29]) (= manentes); 17, 16; 47, 10 quidam (= quidem).

21) Diller, Philolog. Suppl. XXIII 3, 1932 p. 49.
22) Mus. Rh. 64 p. 341 sqq.
23) Die localen Verschiedenheiten der lat. Sprache, Erlangen 1882.
24) op. cit. p. 129 sqq.
25) Bonnet p. 95.
26) Werner p. 1.
27) Schuchardt I p. 185; Lindsay-Nohl p. 18 sqq.
28) Meyer-Lübke, Roman. Gr. I p. 199 sqq.
29) Hoc loco habemus ansam Francogallici participii, quod in -ant desinere inter omnes constat. cfr. Meyer-Lübke, Französ. Gram. § 298; Nyrop, grammaire française II § 81.

Vocalem "u" pro "a" positam legimus his locis: 11, 20 pluvialem aquam . . . frequenter n o v u m ; 25, 17 aestatem siccum; contra Kuehleweinunm et Brinkmannum lectionem vulgarem retinendam esse puto. Nam postquam littera "m" finalis pronuntiari desita est, terminationes -am, -um, -em confusae sunt.

Omnes ceterae demutationes vocalis "a", ut 31, 9 faciant (= faciunt), 33, 19 Fusienim (= Fasienim) librariis debentur.

De vocalibus "i" et "e".



Si notam vocalium scalam[30]) perlustramus, inde manifesto intellegitur longam "e" et brevem "i" finitimas esse. Itaque minime mirum est, quod in libris vulgaribus et inferioribus transgressiones inde a vocali "e" ad "i" et ab "i" ad "e" observare possis[31]).

In nostro quoque libello haec vocalium debilitatio legitur. Qua cum scateat, ad aliquot tantum exempla delegem. Quae ratio scribendi in tertiae declinationis genetivo casu creberrime reperitur: 9, 22 qualitates autem hominum boni colores; 9, 23 clarae voces erunt; 41, 2 voluntas . . . mixtiones.

Huc spectat transitio ab -"it" ad -"et" in tertia persona singularis[32]), velut: 11, 5 sol occidet; 21, 3 dequoque (-ent A) (= decoquit); 37, 28 calefacet; quae debilitas in verborum terminationibus eo progressa est, ut series verborum tertiae coniugationis ad secundam transgrederetur. Nobis agitur hic et de phoneticis et de morphologicis rebus. Quo loco haeremus in dubitatione, quidnam sit res morphologica. Neque enim facile earum fines discernere possumus.

e » i

25, 20 siderit; 23, 5 excidens (Bonnet p. 107) - cidere pro - cedere v. Schuchardtum I p. 315 sqq; 17, 15 accidentes; 31, 30 accidendi (= accedente[33]); 21, 19 uriticus; 35, 26 interficerint; 7, 6 ventris; 7, 12 aegritudinis; 9, 7 hydropis; 7, 1 dissinteriam; 13, 5 dissinterias; 23, 14 dissinteria(s) (discenterias A); 25, 1 dissinteriae (dysenteriae A) [34]).

---

30) Baehrens p. 34.
31) Lindsay-Nohl, p. 33 sqq; Sommer, p. 61.
32) Pirson p. 32; Carnoy p. 17.
33) Verba "accidere" atque "accedere" in labentis aevi scriptoribus saepe permutata sunt. cfr. Werner p. 35.
34) Grandgent § 200; Pirson p. 12 sq.

i » e

47, 26 occultes et articules; 39, 8 simile[s] (= simili); 39, 15 femines. Littera "i" fit in hiatu "e" (cfr. App. Probi: ostium non osteum). Ex nostro libello afferam hoc exemplum: 13, 10 haerneae[35]).

i = e (η)[36]).

19, 15 stiptirode P (stiptirodea A) (στυπτηριώδεα); quae in linguis Romanensibus conservata esse ostendit forma "ταπήτιον", ex qua francogall. tapis ortum est.

Etiam aliis locis vocales "i" et "e" vim peculiarem perdiderunt. e = o[37]): 3, 8 in petu (= potu); 11, 6 colerie. o = e[38]): 35, 13 dosolare (= desolare). e = u (Schuchardt II p. 210; Haag p. 857): 41, 17 colent; 41, 23 obdurescent; 43, 5 agent; 11, 30; 43, 16; 17, 26: et = ut. His locis denuo videmus fines rerum phoneticarum cum morphologia confinio quodam cohaerere.

ii » i

Vocales "ii" bis ad "i" contractae sunt, velut 31, 2 Egyptis (= Aegyptiis); 37, 4 Egyptis. Huc spectat synizeseos exemplum 37, 24 Egyptum (cfr. etiam ThLL I, 960, 58).

ei = i

7, 20 superiores (ventres) autem latiores et fleumati[c]as esse eidentidem (τὰς δὲ ἄνω εὐρωτέρας χολώδεάς τε μᾶλλον ἢ φλεγματίας εἶναι).

Brinkmannus "eidentidem" non intellexisse videtur; nam de hac re prorsus tacet. At hoc vocabulum difficultates offert, quandoquidem congruens in Graeco non exsistit. Hoc adverbium, ut ita dicam, enuntiati explendi causa usurpatum esse opinor. Id significat idem ac "saepe"[39]). In eadem notione ponitur in "de aëre" 17, 8 "iugiter" (coctum iugiter). Graecum tradit tantum: ἑφόμενον (iugiter = saepe cfr. Wölfflin Ausgew. Schriften p. 211). Quae inde facta sunt, quod sermo cottidianus plenioribus vocabulis uti studet. Niedermannus lepide dicit[40]) "der gemeine Mann liebt es, den Mund etwas voll zu nehmen, auch ohne daß eine besondere Veranlassung dazu vorliegt." Innummerabilia testimonia de ratione scribendi vulgari "ei" pro "i" exstant[41]). Hoc autem loco "ei" in vicem "i" brevis posita est. (exempla huius rei v. CIL I² p. 814).

---

35) Grandgent § 224; Baehrens p. 38.
36) Grandgent § 182; Claussen, Die gr. Wörter im Französ. Rom. Forschungen XV p. 854.
37) Schuchardt II p. 215 sqq; Grandgent p. 97.
38) Hoffmann, de titulis Africae Latinis quaestiones phoneticae, Wratislaviae 1907 p. 59.
39) cfr. Loefstedt. Beiträge p. 51 sq, qui affert duo testimonia.
40) N. Jahrb. 1912 p. 333.
41) Lommatzsch ALL XV p. 129 sqq.

y » i

Postremum quomodo Graeca "y" reddatur, tractandum est. Antiquissimis temporibus ea praecipue vocali "u", postea in bonae Latinitatis sermone vocali "y", et in lingua vulgari nisi vocalibus "u" vel "i" non redditur (v. App. Probi gyrus non girus[42]). Cuius rei testimonia afferantur aliquot exempla ex nostro libello: 7,1 dissinteriam (δυσεντερίας); 13, 5 dissinterias; 23, 14 dissinteria(s); 25, 1 dissinteriae (dys- A); 25, 3 disenteriae A (dysi- P); (cfr. App. Probi 150: dysentericus non dissintericus); 27, 2 coriza A (om. P)[43]); 25, 11 cordia P (coriza A); 37, 3 scithicum.

Ut iam ex his exemplis intellegi potest, vocales "i" et "y" crebro in utroque codice permutatae sunt. Similiter res se habet in his: 9, 5 hptysis (= φθίσηες); 27, 3 ptysis A (thisis P).

Huc spectat hic locus: 23, 15 quinos (κυνός)[44])

De vocalibus "o" et "u".

Si inspicimus illam vocalium scalam, quam supra signavi, manifestum fit vocales "u" et "o" commisceri necesse esse, cum aequali fere ratione pronuntiarentur[45]). Quod ad illustrandum denuo pauca exempla profero. 3, 20 putatores (pot- A) (v. Bonnet p. 127); 23, 15 anatulae A (om. P); 7, 8 metabula; 27, 9 Eurupae (om. P); 17, 11 coagolatum; 31, 26 adhoc; 35, 12 adhoc; 19, 13 proximu (-o A); 19, 12 indoctis (inductis A). Vocales "u" et "o" in terminationibus quoque substantivorum confusae sunt. Quae erat causa, quod multa substantiva quartae declinationis ad secundam et vice versa declinabantur. Certe eam ob rem declinatio quarta in lingua vulgari evanuit, quod secunda declinatione compensabatur, velut: 37, 30 flatos; 13, 5 morbus (= morbos); 48, 2 durus; 25, 2 catarrus (catartus A) (κατάρρους).

Porro cum finiens -m iam non audiretur, terminationes -um et -o commutatae sunt[46]). Itaque contra Brinkmannum "primo" (= primum) retinendum esse arbitror. Nam haec forma in codice P creberrime tradita est, cum A excepto uno loco (21, 6) ubique formam "primum" tradiderit. Qua in re codicem A textum genuinum correxisse cognosci potest. Nonnulla exempla afferantur: 45, 15 periculo sustinere; 39, 22 iaculum incumbere (ἀκοντίῳ ἐμπίπτειν); 31, 26 caput eius adhoc molle constituto et diligato deprimunt.

---

42) Schuchardt II p. 253; Grandgent § 187; Baehrens p. 32 et 60.
43) cfr. Meyer-Lübke REW 2274 ital. corizza.
44) qui- = cy- Bücheler, Kl. Schriften III p. 353.
45) Lindsay-Nohl p. 37; O. Prinz, de o et u vocalibus inter se permutatis in lingua Latina quaestiones epigraphicae. Diss. Halle 1932.
46) Brüch, Zeitschrift f. roman. Philologie 41 (1912) p. 429 sqq. L. Friese, de praepositionum et pronominum usu, qui est in titulis Africanis Latinis. Diss. Wratislaviae. 1913 (passim).

Explanatu etiam facile est, quod 48, 3 "acutos" pro "acutum" invenimus; nam consonae -s et -m terminantes confusae sunt, id quod eas obmutuisse testatur.

Postremo singularis rei mentio fiat. Cum in nostro libello forma "paludester" vel "paluster" a codice A aliquotiens correcta tradita sit, loco 3, 16 "padulustribus" (palustribus A) positum est, qua in re vocalis "e" ad praecedentem "u" vocalem assimilabatur. Metathesis, quae vocatur, nullam offensionem movere potest; nam lingua Italorum hodierna "padule" ex hoc vocabulo originem traxit.

De dipthongis.

Non minus quam vocales in lingua vulgari dipthongi quoque permutationibus expositae sunt. Dipthongum "ae" factam esse "e" videmus, id quod in linguis Romanensibus usitatum est[47]. Supervacaneum est exempla enumerare, quia in unaquaque fere pagina nostrae versionis turmatim leguntur. Vice versa autem scriptiones inversas, quae appellantur, deprehendimus. 23,21 boraeum (bonium A); 23, 16 ethaesiae A (om. P); 23, 4 nimiae A (nimia et P); 13, 10 haerneae (= herniae); 29, 25 speciae A (species P).

ae » a

Postquam "ae" dipthongus "e" facta est, vocalem "e" ad "a" novari posse consentaneum est (cfr. transitum "a" ad "e" p. 11). Igitur hoc loco de scriptione inversa, ut ita dicam, agitur. Vocalis "a" pro "e" (ae) posita saepe in inscriptionibus et codicibus legitur[48]. Quod ad linguas Romanenses attinet, compares velim « aeramen » hispan. arambre, vet. Francogall. araim. Omnia fere testimonia in nostra translatione a Brinkmanno emendata sunt. 33, 12 fossa . . . . plurima sunt; 11, 16 de aquis . . . quae sunt morbida; 31, 16 aliae naturae similes sunt . . . . sicca et terra (ψιλῇ καὶ ξηρῇ γῇ); 19, 14 sed quaedam (aquae) dulcia (dulcis A) alia salsa et stipteriodea (— de P).

oe » e

Quod dipthongus "oe" in "e" in posteriore lingua coalescit[49], hoc quoque loco comprobatur: 41, 26 cum ceperi[n]t morbum (cfr. Anglade p. 76 ceperit). Apud inferiores grammaticos regulae dementes de hac re proponuntur (Gr. L. VII p. 273).

Etiam linguae Romanenses demonstrant dipthongum aeque atque "e" tractatam esse (cfr. comoedia Francogall. comédie v. Meyer-Lübke II § 291).

---

47) Grandgent § 210; Meyer-Lübke Rom. Gr. I. § 291.
48) Schuchardt I p. 221; III p. 110; Pirson p. 21.
49) Schuchardt II p. 288 sqq; Seelmann p. 227.

eu » eo

Pauca exempla transitus "eu" » "eo[50]) in nostro libello exstant: 45, 12; 45, 20; 45, 21: Eoropa. Etiam apud Gregorium formam "Eoropa" legimus (Bonnet p. 144). Bonnetus dicit: "La variante 'eo' pour 'eu' semble indiquer qu'il y a là, pour des organes gallo-romaines, deux voyelles plutôt qu'une véritable dipthongue". (cfr. in vetere sermone Latino: Teupilus pro Theophilus). Dipthongum "eo" bisyllabam enuntiatam esse verisimile est, quae res linguae Italianae in usum venit. Ubi primum "eu" dipthongus bisyllaba pronuntiata est, apertum erat "eo" dipthongum hac ratione fieri posse, quoniam vocales "o" et "u" commutabantur.

De dipthongo "au".

Linguarum Romanensium usus proprium est dipthongum "au" in "o" commutare[51]), cuius rei nullum vestigium in nostro libello invenitur. Invicem duobus locis dipthongus "au" pro "a"[52]) ponitur. v. 5, 12 austronomiae (astr-A); 27, 22 austrorum (astr-A).

De syncopa.

Syncopa, quam vocant, contra rationem loquendi linguarum Romanensium[53]) formis exceptis, velut "tegmen", quas hoc loco considerari non oportet, nisi semel in forma "frigdus" et aliquotiens in formis "frigdor" non cognoscitur. Aliud librariis assignari debet, ut 45,4 morbis (= moribus).

Semel tantum formam "frigdus" cum syncopa in litteris Latinis deprehendi, quantum scio, id est in nostro libello loco 47, 3 frigdorum. ThLL VI, 1, 1325, 45 formam "frigdus" asterisco tamquam nondum probatam afficit. Heraeus[54]) se formam "frigda" nusquam legisse notat. Formam "frigdus" cum syncopa in lingua vulgari non fuisse hoc demonstratur loco Petronii plebeio c. 67: caldum meiere et frigidum potare. Cuius rei causa est, quod syncopa inter consonas "g" et "d" postea demum extitit[55]), id quod fortasse post Appendicis Probi tempora fieri poterat. Liceat mihi exemplum proferre ex libri Hippocratici translatione, quae vocatur "περὶ ἑβδομάδων". Quam versionem, cum nostrae cognata sit, omnino saepe in hac dissertatiuncula citabo: de septem (Roscher) p. 76,65

---

50) Birt, Mus. Rhen. XXXIV (1879) p. 1 sqq; Loefstedt peregr. p. 106; Linderbauer p. 106.
51) Meyer-Lübke, Roman. Gr. I § 281.
52) Schuchardt II p. 318.
53) Schuchardt II p. 395; Scheifler p. 14.
54) ALL XI p. 309.
55) Baehrens p. 15.

frigdi A (frigidi P)[56]. Quod ad huius libelli fidem codicum item atque hic codicibus A et P traditorum attinet, res pariter atque in nostro libello se habet, id est modo codex A, modo codex P meliores lectiones exhibet. Praeterea forma "frigdor" cum syncopa in nostro libello legitur: 29, 18 frigdore (frigore A); 41, 4 frigdorem. Forma "frigdor" facile oriri poterat, postquam Varro r. r. 41, 1 formam "caldor" finxit. Quae forma in ThLL VI, 1, 1325 ex glossis et scriptoribus vergentium temporum tradita invenitur. Adici possunt loci ex Hippocratica versione, quae inscribitur de cibis[57]) c. 37 aliquotiens, c. 38, saepissime loci in "de septem" [58]) inveniuntur[59]).

De aphaeresi.

(Schuchardt II p. 365; Werner p. 15)

Nisi mendum librariorum subest, locum 3, 21 tertium amantes (om. A) (= exercitium) aphaeresim, quam appellant, intellegere licet.

De epenthesi.

Vocalem inter consonas inculcatam esse deprehendimus hisce locis: 13, 20 aspalatrum; 27, 20 solestitia (solist-A). De epenthesi inter consonas cfr. Schuchardtum II p. 394.

De contractione.

Exemplum contractionis, quae nominatur, traditum est loco 21, 19 congustat. De hac re compares velim ThLL III p. 1384, 28 sq. Heraeus in ALL 15 p. 575 sq. disputavit de vocabulo "congustus" pro "coangustus" posito.

De prosthesi.

Prosthesis, quae vocatur, et inscriptionibus et codicibus comprobatur, quae in sermone vulgari et in eius continuatione, linguis Romanensibus, gravis ponderis est, quibus rebus vocales "i" vel "e" ante "sc, sp, st" proponuntur[60]). Testimonia quoque eius rei in "de aëre" exstant: 48, 8 inspeciem habebunt (sic cum Gundermanno legere velim). Quam formam linguae Romanenses conservaverunt[61]). 27, 1 (h)isfacelismos (his faciles mox P; his facilissimum A) (σφακέλους). Kuehleweinus et Brinkmannus hoc loco

---

56) cfr. de forma "frigdus" in linguis Romanensibus: Meyer-Lübke REW 3512: ital. freddo, francogall. froid.

57) ed V. Rose, Anecdota Graeca et Graecolatina, Berlin 1870 vol. II p. 155.

58) Mras, Wiener Studien 41 p. 185.

59) forma viget hodieque in linguis Romanensibus cfr. Gamillscheg 445.

60) Lindsay-Nohl p. 116; Löfstedt peregr. p. 216; Grammaire historique de la langue française I, 369.

61) Meyer-Lübke, REW 8181 francogall. espèce.

formam "sfacelismos" legunt. Liceat commemorare nonnulla exempla ex "de septem": 33, 23 estatu P (statum A); 34, 3 estatum P (statum A) (cfr. francogall. état); 62, 4 extigationibus (stig-A). Non est mirandum, quod hic "ex-"invicem es-legitur; nam vocabula "ex" et "es" in lingua vulgari frequenter permutata sunt, quod aequalem sonum habebant. Afferatur locus ex "de septem": 19, 42 extimare P (exstimare A). Quae forma pro "aestimare" posita est[62]). Verba aestimare et existimare in Peregrinatione Aetheriae saepe confunduntur.

Alia vocalis prostheticae exempla proferam: 48, 13 et stabilitatem (stabil-A); 59, 5 et sternutatoriis (stern-A) v. francogall. éternument. Coniunctiones sonorum "ets-" et "es-" in pronuntiatione confluxerunt (cfr. Schuchardt II p. 352).

Praeterea scriptiones inversas prostheseos legimus: 19, 9 sciatici; 43, 23 sciatibus (ἰσχιάδων). Hae formae sic explanandae sunt, ut "i" initialis falso prosthetica "i" intellecta sit, quae ante s impuras, ut supra vidimus, occurrit. Sermo vulgaris hoc loco id spectat, ut quam accuratissime loquatur, at in contrarium cadit. Inde scriptiones inversae, quibus lingua cottidiana scatet, oriuntur. Forma "sciaticus" etiam tradita est apud multos scriptores labentis aetatis, velut: Mulomed. Chironis (Oder) p. 161, 29; 295, 18; Veget. (Lommatzsch) II p. 86, 4; Marcell. (Niedermann) v. indicem p. 313[63]).

De consonis.

Quod ad terminantes consonas attinet, eas, ut etiam alias in sermone vulgari, pedetemtim debilitatas esse et obmutuisse deprehendimus. Quod iam in inscriptionibus vetustissimis demonstratur. Terminantem -m in nostro ipso libello omissam esse conspicuum est. Codex A eam plerumque recte posuit, id quod eum iam non translationis formam nativam sequi de integro confirmat. Cum haec res in scriptis vulgaribus saepissime occurrat[64]), exempla afferre non opus esse mihi videtur. Potest statui consonam -m finalem in nostro libello maxime debilitationi expositam esse, minus saepe "t" et "s" terminantes. Quae res in linguis quoque Romanensibus rursus comparuit, paucis dialectis exceptis (cfr. francogall. mien, rien)[65]). Cum terminans "m" in pronuntiatione quidem evanuisset, in scribendi ratione autem retineretur, varietates ponendi emerserunt, quae afficiebant, ut consona "m" falso apponeretur. Cuius rei copiam quoque exemplorum in-

62) Ahlquist p. 106. cfr. etiam CIL X, 5349 extivas (= aestivas).
63) cfr. porro Liechtenhan p. 43; Gamillscheg p. 790 francogall. sciatique.
64) E. Diehl, de "m" finali epigraphica (Fleckeisen Suppl. 25, 1899); Schuchardt I p. 116; Bonnet p. 154.
65) ALL I p. 211; Meyer-Lübke Roman. Gr. I p. 462.

venimus. Pro proportione rarius debilitatio consonae "s" finalis legitur[66]). Scriptionem quoque inversam creberrime observamus. Dubius haereo, quid ad librarios ineptos referendum sit, quid "attractio formalis" nominata intellegenda sit (cfr. p. 10). Quam parum interpres sciverit, quando vel "m" vel "s" ponenda sit, demonstrent haec exempla: 48, 3 acutos (= acutum); 19, 22 concavitatem (-e A) (= concavitates); 11, 24 eas (= eam). Qua ratione numerum pluralem contra Niedermannum explicaverim[67]). 33, 27 flatus (= flatum); 13, 27 pessimam (= pessimas); 13, 16 ad omnem usus; etiam aliis locis consonas exeuntes permixtas esse deprehendimus, velut 35, 14 quid (= quis); 35, 22 habes (= habet); 11, 2 quos (= quod). Quae fluctuatio in consonis "m" et "s" ponendis erat causa, cur accusativi plurales in -as, -es, -os et accusativi singulares in -am, -em, -um confunderentur, item cur terminationes in -am, -a, -as, -o, -um miscerentur. Aliquot exempla haec evincant: 29, 25 species optimos (P; A); 11, 21 aquam . . . novum; 43, 7 equitatem (= equitatum); 25, 17 aestatem siccum. Qua ratione fit, ut singularis numerus pro plurali aliquotiens ponatur, nisi in hac re de rebus syntacticis agatur: 3, 12 ortum (ἀνατολάς) 5, 7 signorum hortus et occasum (-usA) (ἐπιτολάς τε καὶ δύσηας); 5, 16 in medio hiverni (hib-A) hortum (ortus A) solis et occasum hiverni (occasus hiberni A) (μεταξὺ τῆς τε χειμερινῆς ἀνατολῆς τοῦ ἡλίου καὶ τῶν δυσμέων τῶν χειμερινῶν); 7, 15 inter occasum solis et hortum aestivum (μεταξὺ τῶν δυσμῶν τῶν θερινῶν καὶ τῆς ἀνατολῆς τῆς θερινῆς): similiter Graecum „ἀνατολάς" vocabulo Latino "hortum" locis 9, 13 et 9, 18 redditur.

Exiens "t" quoque in lingua vulgari exolevit[68]), id quod in linguis Romanensibus excepta scribendi ratione in lingua Francogallica confirmatur: 5, 11 puta (-t A); 9, 1 venia; 29, 21 subministra (-t A); 5, 18 sin (-t A); 37, 29 perveni; 31, 16 campestri e (= et). Haud scio an finiens "d" omissa sit. 33, 2 qui (= quid); 21, 7 quodcumque . . . rapit a se ipso A (r. se ipsum P) (= ad); 29, 10 posita est a matutinum A ad P) (πρός). Littera "t" secundum scriptionem inversam addita est, velut 11, 27 efficit (= effici); 7, 29 disrumpit.

Exiens "c" in lingua vulgari evanuit[69]). Inde fit, ut in inferioris aetatis lingua vocabula "si" et "sic" inter se commutentur. 5, 11 sic (= si); 23, 1 si (sic A) (= sic); 31, 33 sic (= si); 48, 9 si (= sic); 9, 26 si (= sic).

---

66) C. Proskauer, Das auslautende s auf den lat. Inschriften, Straßburg 1910; Leo, Plautin. Forschungen p. 228; Bonnet p. 150 dicit: "s finale se maintient avec fermeté sauf une seule exception."
67) Rev. de phil. 1907 p. 226.
68) Schuchardt I p. 118; ALL II p. 25 sqq.
69) Carnoy p. 175 sqq; Pirson p. 99; Diez, Rom. Gr. I p. 228; cfr. Consentium G L (Keil) V, 395, 11 sqq. si custodit (= sic).

Cum consona "n" ante "t" omitteretur vel falso insereretur[70]), terminationes in -ent et -et phonetice confluxerunt. Qua re explicandum est terminationem -et in nostro libello poni, ubi -ent exspectes et vice versa, id quod frequentius occurrit. Multitudo exemplorum obstat, ne de rebus palaeographicis cogitem, velut 45, 19 leges . . . operatur; 11, 11 flatus . . . adiacet; 7, 12 nisi . . . obtineant morbum; 41, 26 cum ceperint morbum; 9, 26 similant . . . si(c) constituta civitas. Huc spectat forma "mansuentiores" (7, 33). Incertum est an terminationes quoque in -eat, -eant cum -et, -ent confluxerint, modo ne coniunctivus exstet (v. Loefstedtum Syntactica II p. 130 sqq.). Hic vir doctissimus statuit vocabula "videatur" et "debeat" in lingua vulgari pro "videtur" et "debet" adhibita esse. Nonnulla ex nostra versione: 11, 15 ita se habeant (ὧδε ἔχει); 31, 25 habeat autem lege sic (ἔχει . . ὧδε); 43, 15 convenit . . . divites . . . apponere donaria . . ., pauper minime quod non habeat efficere (τοὺς δὲ πένητας ἧσσον διὰ τὸ μὴ ἔχειν).

De aspiratione.

Litteram "h" iam, quo tempore litterae Romanorum excolebantur, valde debiliter in vocabulorum initio enuntiatam, vix intra vocabulum auditam esse inter omnes constat. Procedente tempore accidit, ut sonus spirans non iam enuntiaretur[71]). Sed eruditi aspirationem reduxerunt, ita ut eam neglegere vel perperam ponere purae Latinitatis temporibus malae educationis habitum sit (cfr. Nigidium Figulum ap. Gell. XIII, 6, 3 "rusticus fit sermo, si adspires perperam." v. etiam Cic. 160. Quint. I, 5, 20.). Cuius consuetudinis testis est Catullus poeta: c. 84: "Chommoda dicebat, si quando commoda vellet dicere, et insidias Arrius hinsidias". Unde fluctuatio etiam in orthographia est orta. Non est dubium, quin magna pars exemplorum, ubi codices talem scriptionem vitiosam praebent, librariis tribuenda sit. Sed in textibus vulgaribus plurima exempla ex scriptoribus ipsis emanant. Sonus "h" omissus est praecipue in vocabulis Graecis. Aliqua commemorantur: 5, 25 reumaticas (cfr. Varro frg. 82 p. 212, 17 G.-S.); 7, 2 emorroidas; 7, 2 edra; 7, 31 era (ἱερά); 13, 1 ydropes (ὕδρωπες); 13, 2 diarriae; 37, 8 colerum (choler- A).

Alibi quoque sonus "h" non est positus: 25, 14 ae (haec A); 35, 24 astas; 31, 5 actenus;

Scriptionem inversam observamus his locis: 5, 20 humida; 21, 3 inhuret (inurit A); 21, 13 hominibus (=omnibus); 3, 15; 7, 13; 3, 19; haec (= et); 48, 3 habundantes (de septem. 59, 13 habundanti). Quae forma ad analogiam perperam informata est[72]).

---

70) Seelmann p. 283 sqq; Corssen p. 256 sqq.
71) Birt, Der Hiat bei Plautus u. die lat. Aspiration; Grandgent § 249; Baehrens p. 101.
72) ALL IX p. 497; Linderbauer p. 275.

Aspiratio ad hiatum explendum inserta est: 41, 5 cohire; 41, 6 cohitus.

Aspirationem in lingua vulgari transmutatam esse, potissimum in vocabulis Graecis, demonstrant duo loci, qui duobus ex "de septem" augeri possunt[73]): 9, 5 hptysis (φθίσης); 25, 6 catharoes A (catarron P); "de septem" 13, 15 sthomacus A (-um P); 16, 15 Trachias A (-ius P). Notabilis est etiam forma Schithia (41, 15) a Brinkmanno deleta[74]).

De consonis "b" et "v".

Aetate imperatorum, praecipue saeculo altero consona "b" ad "v" mollitur et vocabuli principio et inter vocales[75]). Libellus de consonarum "b" et "v" permutatione ab Adamantio traditus est, quem Cassiodorus excerpsit (Gr. L VII p. 165). Aliquot exempla ex nostra versione: 5, 16 hiverni; 23, 23 avortire (abv-A); 47, 6 alvidiores; 47, 15 sivi; 35, 17 sivi; 29, 3 sive (sibi A); 3, 24 latevit (latebunt A); 37, 16 vobis (= boves); 17, 20 vibentibus (bibent -A); 19, 21 vibitis (videtis P; bibentes A); 19, 7 nubibus (= nivibus); 29, 19 nubibus (= nivibus).

Similiter scriptio inversa id testatur, quod consonae "b" et "v" confluxerunt: 37, 16 vobis (= boves); 37, 27 aestibas; 47, 2 concabas; 47, 18 flabas.

De consonae "v" ante "u" interitu.

Consonam "v" ante "u" in lingua vulgari excidisse[76]) confirmatur his locis: 48, 3 operatium (ἐργατικόν): 17, 18 cocere (conquiescere A) (= coquere)[77]). Iam Appendix Probi (Baehrens p. 6) formas "cocus, coci" reprehendit. Vox vulgaris "cocere" in linguis Romanensibus superstes est (Meyer-Lübke REW 2212 ital. cuocere, francogall cuire, hispan. cocer). Scriptio inversa legitur: 21, 3 dequoque P (dequoquent A).

De consonarum geminatione.

Aliquotiens in nostro libello geminationem consonarum invenimus, ubi lingua bonae Latinitatis unam tantum consonam exhibet. Etiam contrarium legitur. Qui usus occurrit iam vetere tempore et in lingua vulgari[78]), ut omnino relationes propinquae

---

73) Mras, Wiener Studien 41 p. 63 sq.
74) ch = c cfr. Schuchardt I p. 73; Diehl, Vulgärlat. Inschriften 204, 775, 1272.
75) Baehrens p. 79; Meyer-Lübke, Einführung, p. 165; Parodi, Romania 27 (1898) p. 177 sq.
76) Meyer-Lübke, Einführung p. 166 sq.
77) Vocabulum traditum est apud Antoninum Placentinum p. 165, 15; Meyer-Lübke, Einführung, p. 167.
78) Lindsay-Nohl p. 123 sq; Meyer-Lübke, Einführung p. 171 sq.

inter veterem et inferiorem Latinitatem intercedunt[79]). Pauca exempla ex "de aëre" promam: 7, 1 dissinteriam; 13, 2 dyssinteriae; 13, 5 dissinterias; 23, 14 dissinteria(s) (discenterias A); 25, 1 dissinteriae (dysen -A). Cum lingua hodierna Italiana geminationem (dissenteria) conservaverit, codicem P rectam scribendi rationem tradidisse contra Brinkmannum puto.

Praeterea forma "vessica" geminationem consonae praebet: 19, 23 vessicae (-a A); 19, 25 vissicam (vess- A); 21, 1 vessica; 21, 16 vessica (-am A); 21, 20 vissicae (vess- A). Etiam alibi in medicorum Graecorum translationibus[80]) hoc genus scribendi statuere possumus. Forma "vessica" hodieque in linguis Romanensibus viget[81]).

Geminatio est omissa his locis: 37, 27 consumans; 39, 22 molitie; 9, 19 moles; 41, 5 concusi; 37, 14 conicio hoc modo: aliqua duo aliqua tria cola trahentia (aquatriacola P) (τὰς μὲν δύο, τὰς δὲ τρία βοῶν κέρως ἄτερ). Geminationem omissam nihil aliud nisi librariorum mendum esse valde verisimile est.

De consonarum permutatione.

Soni, qui vocantur medii et tenues, in lingua vulgari interdum inter se commutantur[82]), cuius rei inveniuntur aliquot exempla: 31, 26 diligato (=delicato); 27, 13 ed (et A) de "d" et "t" consonis finalibus cfr. Quintil. I, 7, 5); 21, 21 adfrigat (= cat A); 9, 31 timendum (= tegimentum); 31, 31 accidendi (= accedente); 5, 22 quodquod (Chir. ind. p. 418 sub voce "quisque"); 19, 9 sciatici (= ischiadici); 21, 20 grassior (crass- A); 47, 28 grassi. Non dubito, quin vox "grassus" ad analogiam vocis "grossus" formata sit. Ratio scribendi "grassus" est fundamentum formarum Romanensium[83]). 27, 9 agrius A (acrius P)[84]). Forma agr- in ThLL nusquam profertur. 7, 10 cerepro.

De assimilatione.

Assimilatio consonarum insequentium velut "ct" ad "tt(t)" iam ex tertio saeculo invenitur[85]). Quem transitum aliquotiens legimus: 27, 4 arturos (arct -A); 37, 26 arturos; 37, 29 arturos. Meyer-Lübke testatur ex lingua Neapolitana formam "artone" (REW 617).

---

79) Quod Marx bene depinxit „Neue Jahrbücher" XII p. 434 sqq.
80) v. Marcell. Empirici (Niedermann CML) indicem p. 318; Medert p. 23; Moerland p. 58; v. Gloss. CGIL. III, 13,16; 351, 50; 311, 66; V, 399, 31.
81) A. Zauner, Die roman. Namen der Körperteile, Rom. Forschungen XIV p. 519.
82) Baehrens p. 88; Meyer-Lübke Rom. Gr. I p. 358.
83) Meyer-Lübke Einführung p. 181. ital. grasso, hispan. graso, francogall. gras.
84) Mulomed. Chir. 13,4; Meyer-Lübke REW 92: ital. agro, francogall. aigre.
85) Baehrens p. 85; Meyer-Lübke, Einführung p. 167 sq.

Aeque assimilatio legitur his locis: 13, 9 thinodea (φθινώδεα); 27, 3 thisis (ptysis A). Quas formas contra Brinkmannum retineam; nam utroque loco de assimilatione "pt" ad "t" agitur[86]). Linguae Italianae hanc scribendi rationem assumpserunt[87]).

Praepositiones in compositis a pronuntiationis vulgaris et linguarum Romanensium usu discrepantes saepissime non assimilantur. Quaedam exempla citentur: 33, 16 inperfecti; 35, 32 inpositum; 9, 1 inmutationem; 19, 10 inmittunt (inmittuntur A); 33, 28 adtingit; 41, 17 adplicant; 47, 20 adsidue; 29, 11 conpetens; 41, 27 conprehendit; 21, 9 conpulsus; 9, 20 conprehendens[88]).

De consona "n" ante "s" excidente.

Consona "n" ante "s" iam in vetustissimis Scipionum titulis in pronuntiatione non audita est. (cfr. cesor CIL I², 8). Innumerabilia codicum testimonia et utique scriptiones inversae sonos "ns" et "s" simili ratione enuntiatos esse docent. Linguae quoque Romanenses "n" ante "s" interisse significant[89]). Item in nostro libello consonam "s" ante alias consonas excidisse deprehendimus: 45, 9 indifferes; 25, 11 brachio (brancias A) (= brancho); 13, 23 mixtionem (=minctionem); 25, 19 occansionem (occasione A)[90]); 19, 1 inveniens (= invenies A)[91]); 35, 19 inveniens; 31, 10 et veniens (= et invenies).

Linguae historiae summi momenti est forma "praegnaces" (9, 29 ἀρικόμονες), quae sine causa a Brinkmanno in "praegnantes" emendata est. Vox "praegnax" ad exemplar "milex"[92]) vocis orta esse videtur. Postquam forma "praegnans" ad "praegnas" informata est, intellegi potest formam "praegnax" ortam esse, quod consonae "x" et "s" inter se permutatae sunt. (v. p. 18). Vocabulum "praegnax" praeter locum nostrum nisi apud Fulg. myth. 2,3 et Chironem p. 41, 10 non legitur.

De "ph" ad "f" transeunte.

Consona "ph" saeculo quarto "f" pronuntiata est[93]). Quae ratio scribendi antea rarissime tantum occurrit velut forma "Dafne" in inscriptionibus parietariis Pompeianis et Romae in inscriptione

---

86) Niedermann. Neue Jahrb. 1912 p. 337; tisana = ptisana v. Medert p. 46.
87) cfr. Novo Dizionario universale della lingua Italiana. Milano 1924 vol. II p. 1131: tise, tisi, tisico.
88) De compositis, quae non assimilata sunt, cfr. Lindsay-Nohl p. 355 sqq; Bonnet p. 176 sqq.
89) Meyer-Lübke, Einführung p. 169 sq.
90) v. App. Probi 123 occasio non occansio; CIL VI 33899; Audollent, Defixionum tabellae 140.
91) ens = es cfr. Seelmann p. 285.
92) Baehrens p. 92 "miles non milex"; Meyer-Lübke Einführung p. 170.
93) Schuchardt I, 56; Bonnet p. 164; Mommsen Schriften 7 p. 792.

CIL I^2 1413 forma "Fedra". Tamen ex saeculo quarto demum consona "f" semper posita est. Aliquot exempla ex nostra versione nominentur: 5, 20 fleumatici; 7, 20 fleumatica; 25, 19 fagedenas (fagi- A); 31, 21 macrocefalis (cfr. "cefalo" in lingua Italiana). Uterque codex vocabulum Graecum "ὀφθαλμία" differenti ratione reddit: 7, 7 optalmiae (-imon P); 7, 28 optalmias; 25, 1 obtalmiae[94]) (opftalmiae A); 25, 5 obtalmia(s) (opftalmias A); 27, 6 optalmiae (opfthlmiae A); 27, 14 optalmiae (opfthalmiae A). Genus scribendi "opftalmia" in codice A maximi ponderis ad linguae historiam est, quod contaminationem phoneticae et historicae orthographiae demonstrat. Temporibus auctoris nostri "oftal-" dictum est. Formam "optal-" rectam scribendi rationem exhibere non ignoravit, sed et pronuntiationem et accuratam scribendi rationem respiciens, formas "opftal-" et "opfthal-" formavit[95]). Notandum est 25, 7 paraflecticos (παραπλήκτους). Duobus locis litteram "v" ad "f" transgressam esse cognoscimus[96]): 11, 25 perfidos (= fervidos); 41, 26 fenam.

Quomodo consona facta sit vocalis.

Graeca vocabula "φλέγμα, φλεγματώδης" in Latinum vocabulis "fleuma" et "fleumaticus" conversa sunt: 5, 20 fleumatici; 7, 20 fleumati[c]as; 7, 32 fleumatici; 25, 3 fleumata (flegmata A). Quae formae apud inferioris temporis scriptores leguntur (Chir., Anthim., Marcell.)[97]). In p. 21, 11 transitum "al" ad "au" (cauculum A) reperimus, id quod glossema ad vocabulum "lithiasin" est.

De vocali "u" in consonam transformata.

Tribus locis transitum "coa" ad "qua" in nostro libello observamus: 39, 17 quagulatione; 45, 2 quagulationem; 17, 13 quamgulatum[98]). Vox "quagulare" in linguarum Romanensium usum recepta est (Meyer-Lübke REW 2005 ital. quagliare; francogall. cailler).

De assibilatione.

Mirandum est, quod nisi semel in nostra versione assibilationem non invenimus (31, 9 inmutaciones A). Nam in vergentium temporum libris exempla eius rei redundant[99]). Usus est uberrimus in "Vita Wandregiseli" (cfr. Müller-Marquardt p. 91). Duobus locis

---

94) obtalmia cfr. W. Schulze „Orthographica" p. 29; 35 sq.
95) De hac contaminatione compares Liechtenhan p. 43; Moerland p. 61.
96) v. Bonnet p. 165; Haag p. 866.
97) cfr. etiam Schuchardtum II, 499; III, 308; Gamillscheg 424a.
98) coa»qua Festus (Lindsay) 312,21 sq; Isidod, Origines XX, 2,35. quagulare: ThLL III, 1378,39 sq; Thesauro addendum est: Veget. Ih, 44, 1 A, F); I 45,1 (A, P); III,10,3 (A).
99) Bonnet p. 172 sq; Meyer-Lübke, Einführung p. 174.

scriptio inversa reperitur: 25, 11 cordia (coriza A) (κορύζα); 27, 2 coridia (coriza A). Haec perversa ratio scribendi inde orta est, quod interpres, qui consonam "z" in vocabulo "coryza" vulgarem ducebat, eleganter scribere in animo habens vitiose "di" pro "z" ponebat[100]).

De dissimilatione et metathesi.

Dissimilatio, quae vocatur, in lingua vulgari et in linguis Romanensibus saepenumero legitur. Illustrissimum exemplum est vox "peregrinus", quae in lingua Francogallica ad "pèlerin" formata est. Quae ad formam vulgarem "pelegrinus" revocatur[101]). Nonnulla exempla in nostra versione inveniuntur: 27, 1 celebri A (cerebri P); 11, 22 graciles (= glaciales); 27, 1 celafargicae (caelafalargicae A); "de septem" 59, 3 celebro P (cer- A). Vocabulum celebr- in ThLL non inveni. Ex glossis afferri potest forma tantum "celebrosus".

Exemplum metatheseos occurrit hoc loco: 3, 16 padulustribus (palustri- A). Etiam lingua Italiana formam "padul-" demonstrat[102]). Testimonium assimilationis ex "de septem" citetur: 74, 17 frustra (frusta A) (= frusta)[103]).

Pars altera.

De rebus morphologicis.

Quibus expositis iam ad res morphologicas procedamus et proximo capite agamus de declinatione.

De declinatione.

Cum vocales "o" et "u" in syllabis atonis hebetatae essent, accusativos quartae et secundae declinationis commutatos esse consentaneum erat[104]). Cuius rei aliquot exempla afferantur: 37, 30 flatos; 23, 9 aestos A (-us P); 25, 14 flatos A (-us P); 25, 17 flatos A (-us P); 27, 22 ortos A (-us P); 13, 5 morbus (= morbos); 25, 24 causus A (-os P). Huc spectat locus (19, 13) "proximu" (-o A).

---

100) di = z cfr. Peregr. Aeth. 99, 22 baptidiare.
101) Schopf, Die konsonant. Fernwirkungen. Göttingen 1919 p. 84; Baehrens p. 69.
102) Meyer-Lübke REW 6183.
103) v. App. Probi 180 frustum non frustrum; CGIL VI,2 p. 472; ThLL VI, p. 1440,65 sqq.
104) Werner p. 26; Haag p. 876.

Neutrale genus quartae ad secundae declinationis formatur[105]); 19, 1 gelum (-u A).

Transitum tertiae ad quartam declinationem invenimus: "de septem" 45, 14 mensuum; 46, 17 mensuum (v. Linderbauer p. 363).

Mirus est transitus tertiae ad quintam declinationem hoc loco 11, 6 colerie (= colore).

Secundam declinationem pro tertia usurpatam legimus his locis: 37, 6 desertio . . . . campestria[106]), 37, 6 desertio . . . . paludestria; 19, 14 aqua . . . dulcia (ital. dolco).

Aliquot adiectiva secundae declinationis in tertiam declinationem transierunt: 11, 8 gravi(s) vocis (-es P) esse et infirmis (βραγχώδεας);[107]) 35, 3 infirme mihi videtur esse genus . . . . (ἄναλκες); 33, 28 imbecillis[108]) (ἀσθενής) et lentus; 47, 16 imbecilles (- is P); 13, 12 longaeves; 11, 19 calides; 33, 16 immatures; 13, 17 petroses. Haud scio, quid horum exemplorum interpreti, quid librariis attribuendum sit. Intra tertiam declinationem permixtio stirpium in consonam et vocalem exeuntium reperitur: 31, 30 accidendi (= accedente); 5, 3 inminenti; 13, 21 praevalente igne.

Dativus casus singularis in "e" pro "i" exit[109]): 9, 26 verno tempore.

De generibus permutatis.

Ex tribus generibus linguae Latinae masculinum tantum et femininum genus in linguas Romanenses transisse constat. Quam rem usque ad vetustissimum sermonem vulgarem persequi possumus; nam iam apud Plautum observamus eum masculinis generibus uti, quae in boni aevi sermone nisi neutralia genera non exsistunt, exempli gratia: aevus, collus. Quae generis permutatio per omnem linguam plebeiam legitur et labentibus temporibus de integro emergit, id quod postremo neutrius generis interitum in linguis Romanensibus adduxit[110]). In hac re noster libellus elementa vulgaria non dissimulat: 11, 26 iugulos; 39, 20 pectores (στήθεα)[111]).

Haud scio an loco 5, 2 vox "tempus" generis masculini intellegenda sit: per tempus adveniente (adveniens A).

Ad neutrum genus tollendum forma "frigdor" orta est: 29, 18 frigdore (frigore A); 41, 4 frigdorem. Quae forma superstes est in linguis Romanensibus[112]).

---

105) Schuchardt II p. 91 sq; Werner p. 26.
106) Th. LL III p. 209,12 sqq; Meyer-Lübke Rom. Gram. II p. 76 sq.
107) Roensch, Itala p. 274; CGlL VI,2 p. 574; francogall. infirme.
108) Georges, lat. Wortformen p. 336; CGlL VI,543; grancogall. imbécile.
109) Corssen I, 729.
110) Meyer (= Meyer-Lübke) Die Schicksale des lat. Neutrums im Roman. Halle 1883; E. Appel, de genere neutro intereunte in lingua Latina. Erlangen 1883; Löfstedt peregr. 134 sqq.
111) Bonnet p. 348; Meyer-Lübke REW 6335; ALL IV p. 431.
112) Meyer-Lübke REW 3511 ital. freddore; francogall. froideur.

Vice versa neutrum genus pro masculino legitur his locis: 23, 16 autumnum salubre (-m A); 25, 26 autumnum vero humidum; 25, 23 vero aestas (-us P) pluvialis fuerit et austrina et autumnum (-us A) [113]). Ex "de septem" vox huc spectans nominetur: 8,8 postautumnum (-us A). Quae vox lexicis ignota est. Item vocabulum "morbum" duobus locis accepit genus neutrale[114]): 7, 12 morbum; 41, 26 morbum. Praeterea aliquot alia exempla transitionis generis masculini ad neutrum proferantur: 19, 23 meatum . . . angustatum (meatus P . . .); 41, 9 meatum . . . conclusus; 37, 20 hippacen (inpace P) manducant, id est caseum (τυρός) equinum (ThLL III, 513, 20 sqq); 9, 17 moderatum aer[115]); 9, 21 conprehendens matutinum ros[116]). Fieri potest, ut vocabula unius syllabae genus neutrum assumpserint, quoniam multitudo eorum pro neutris habebatur.

Creberrime in nostro libello exempla inveniuntur, in quibus post neutrum pronomen relativum vel omnino post neutrum ponitur adiectivum in masculino genere. Quae res nihil est aliud nisi transitus neutrius ad masculinum. Omnes loci eius rei a Brinkmanno emendati sunt: 17, 6 quod turbulentum esse eius et nocti similis; 27, 3 sin vero boreum (autumnum) fuerit et inaquosus (aquosus A); 27, 21 aequinoctia . . . utraque . . . autumnales (-ia A); 37, 24 genus . . . multigenus est; 41, 12 multigenus est genus; 45, 8 in eo enim quod . . . similis est; 25, 20 si vulnus innatus . . .

Genera etiam alibi in nostro libello inter se permiscentur. Aliquot masculina ad genus femininum et vice versa transgressa sunt: 39, 20 articulas summas[117]); 29, 27 regiones istos (estus P) . . . proximos esse cfr. Columellam 3, 2, 30 universae (-i SA[1]) regiones. Jord. 30, 156 regio . . . sortitus. Potissimum propter veteris Francogallicae formam genus masculinum retinendum esse censeo[118]). 27, 12 hiemps boreus fuerit et (ed P) siccus[119]).

Praeterea genus femininum pro masculino reperitur his locis: 7, 3 causae (καῦσοι); 13, 6 causas; 25, 24 causas (-us A). Forsitan etiam permixtio cum vocabulo "causa" (= morbus,de qua significatione v. Bickel, Glotta 23 p. 213) subsit.

Notabilis etiam feminini in neutrum est transitus: 43, 14 ad-

---

113) ThLL II, 1605, 35 ubi porro etiam duo loci addendi sunt: Colum. 7,7,2 et 1 praefat. 23; Svennung Eranos XXVI (1928) p. 173 [4].
114) CGIL III, 206, 45; morbum regium III, 603,6; V, 32,11.
115) ThLL I, 1047 duo tantum testimonia affert: carm. epigr. 1108, 2; Greg. T. 2,53.
116) ros (n.) cfr. Marcell. (Niedermann) VIII, 35; 81; 111.
117) ThLL II,689, 16; CGIL V, 441, 31.
118) Godefroy, Dictionnaire de l'ancienne langue française, VII p. 226 (le roion).
119) v. Enn. ann. (Vahlen) 424: acer hiemps.

subsistente patrimonia; sic lego contra Brinkmannum; nam suffixa desinentia in -monio et -monia in litteris Latinis confunduntur[120]).

Mentio fiat ex "de septem" exempli transitus neutrius generis Graeci in -ma in declinationem primam[121]): 59,6 fleumam P.

Neutrale plurale exiens in -a per omnem sermonem vulgarem in primae declinationis femininum traductum esse inter omnes constat[122]) (cfr. francogall. joie « gaudia; merveille « mirabilia étable « stabula). Qua est temporis transitorii fluctuatione scriptiones inversas legi clarum est[123]). Cuius rei aliquot exempla nostro libello debemus, quae in posteriore et vulgari Latinitate existunt: 19, 8 stranguria habent. Testimonia commemorari possunt ex Mulomedicina Chironis[124]) et Marcello.

Eodem modo neutrum intellego: 19, 11 fluentia multa (fluentiam A) (ῥεύματα)[125]). Huc pertinet locus 13, 8 tumentia (οἰδέοντα): nam forma "tumentia" evincitur ex Caelio Aureliano (de morb. acut. 1, 10, 74 et 3, 8, 92). Itaque locum nostrum scriptionem inversam exhibere opinor.

Praeterea forma "colerum" (27, 8) testimonio transitus ad neutrum genus est. Utraque Oribasii versio non novit nisi neutrius hanc formam pluralem[126]). Moerlandus causam transitus nominat, quod cum complura vocabula extorum numeri pluralis sunt tum terminationes in "a" neutralium pluralium tertiae declinationis propriae sunt. Addere velim nonnullos locos ex "de septem": 29, 16 cholerum A (col -P); 42, 53 cholerum A (col. -P); 28, 26 choleribus; 64, 2 choleribus; 49, 39 cholera A (col -P) [127]).

Postremum ad nominativum heteroclite formatum delegem: 11, 1 causa est aeris, quoniam matutinum retinet diutissime (αἴτιον δὲ ὅτι ὁ ἀὴρ τὸ ἑωθινὸν κατέχει ὡς ἐπὶ τὸ πολύ). Hoc loco nominativus ad analogiam casuum obliquorum formatus est[128]). Lingua vulgaris "aëris" formam idcirco finxit, quod vox "aer" parum syllabarum exhibebat. Quae forma lexicis et quaestionibus specialibus ignota est.

---

120) ALL XV, 370 sqq; Kuhns Zeitschrift 19 p 262.
121) Weise, Gr. Wörter p. 48 sq; Claussen, Roman. Forschungen 15, 797.
122) Bonnet p. 350 sq; Meyer-Lübke Roman. Gram. II p. 76 sqq; Appel, de genere neutro intereunte p. 14 sqq.
123) cfr. Löfstedt peregr. p. 136.
124) v. indicem p. 301.
125) ALL XII p. 328 sq; ThLL VI, 1, 949, 12 sqq. Licet adicere locum ex CGIL II, 476,58, ubi lego "fluentia".
126) Moerland p. 75.
127) ThLL III, 1015, 14 sqq; cfr. Mulomed. Chir. indicem p. 300.
128) Niedermann, N. J. 29 p 235; Liechtenhan p. 81 sq; Jovis (= Juppiter); bovis (= bos): cfr. Heraeum, Petron u. die Glossen p. 43.

De pronominibus.

Non paucas commutationes formae pronominum subierunt 25, 11 eum = id[129]); 7, 21; 41, 8 eius = eis. Etiam in Mulomedicina Chironis forma "eius" pro "eis" legitur. ipse: 37, 13 ipsi (= ipsa neutr. plur.); 31, 6 ipsi (= ipsae fem. plur.); 41, 18 ipso (= ipsi dat. sing.) [130]). Novissimo in exemplo transitio ad secundam declinationem cognoscenda est, quae apud scriptores vulgares crebro occurrit. idem: 7, 15 idem (= isdem). Quo loco forma "idem" quasi indeclinabilis facta est, ut etiam alibi in posteriore Latinitate[131]). Forma "hic" maioribus fluctuationibus exposita est (Bonnet p. 386 sqq): 43, 20 hic (= hoc); 37, 12 heae (= hae). Quae peculiari demonstrativi vi oblitterata ante pronomen relativum posita est pro forma "is" [132]): 5, 1 delinquat in his quae oportet fieri; 9, 14 ab his, quae . . . ; 9, 24 meliores ab his, qui (βελτίους τῶν): haec (=hae fem. plur.)[133]): 3,11 haec . . aegritudines (-is P); 31, 5 gentes . . . haec; 41, 6 haec causae. hii (= hi)[134]): 11, 11 hii sunt; 13, 21 hii ergo sunt; 21, 13 hii faciunt; 9, 28 haec (= his); 7, 32; haec (= hos).

ille: 31, 12 illorum (= illis). Formae Francogallicae "leur", linguae Italianae "loro" originem ex forma "illorum" duxerunt. Quod ad pronominis relativi generum perturbationem attinet[135]), aeque atque in ceteris litteris vulgaribus aliquot testimonia reperimus. Semper forma "que" pro "quae" posita est. quae (= qui plur.) [136]): 9, 11; 43, 17. quarum (= quorum) 41, 24 vertebra vulnerant, quarum . . . aegrotaverint. Facere non possum, ut vocem "vertebra" feminini generis intellegam. 19, 11 quo (quam A) = qua; 45, 8 qui (= quos) [137]); 29, 14 quemadmodum (quae admodum A); 21, 17 quae ex causi (= qua ex causa); 47, 10 flumina qui (cfr. francogall. qui; ital. qui). Pronomen "qui" muneribus neutrius et feminini generis fungi coepit, id quod in linguis Romanensibus conservatum est[138]). Liceat mihi mentionem verborum Müller-Marquardti facere (p. 154) "aus dem Schriftbild dieses Pronomens (qui) erhält man den Eindruck, daß zur Zeit des Autors die Formen in der gesprochenen Sprache alle in eine Einheitsform "que" zusammengeflossen waren." Idem confirmatum etiam in aliis quaestionibus linguae Latinae reperimus[139]). 19, 14

129) Bonnet p. 383; Bellanger p. 41.
130) Apul. metam. 10,10; CIL VI 12131.
131) ALL 15, 306 sqq; Löfstedt peregr. p. 294.
132) Löfstedt peregr. p. 91 sq; Grevander p. 13.
133) Haag p. 884; Scheifler p. 52.
134) Bonnet p. 387 sq; Geyer CSEL XXXIX indic. ad Silviam p. 402.
135) Sommer p. 439.
136) Müller-Marquardt p. 155.
137) Bonnet p. 389 sqq; Müller-Marquardt p. 155.
138) Löfstedt peregr. p. 131; Meyer-Lübke Roman. Gram. III § 563.
139) Rydberg, Zur Geschichte des französ. "ə" Uppsala 1896 II p. 331; Meyer-Lübke, Rom. Gram. III § 563.

aliae (-i A) (= dat.)[140]; 15, 31 quicumque (= neutr. plur); 29,20 quacumque (quae -A) (= ὁκόσα); 7, 12 aliquid (= aliquod)[141].

De comparatione.

Interpres in comparatione formanda plerumque secundum bonae Latinitatis leges procedit. At cum nostra versio in lingua vulgari confecta sit, fieri non potest, quin periphrasticam constructionem comparativi et superlativi exspectemus. Quae sermonis vulgaris propria est[142]. Attamen circumscriptio quater tantum in nostro libello legitur: 7, 33 asperiores magis (ἀγριώτερα); 47, 6 fusci magis; 39, 25 fortiores magis (farmaces P); 9, 22 maxime magis (μᾶλλον). Qui usus abundans "magis" ad sensum comparativum stabiliendum linguae vulgaris proprius est[143]. Qua in locutione primum permixtionem comparativi cum superlativo habemus, deinde vox "magis" circuitus est. Cum in exemplis, quae supra commemoravi, gradatio "magis" semper postponatur, locum 13,12 sed magis duras (ἀλλὰ σκληρά. .) aliter intellegendum esse opinor. (v. in capite de syntaxi).

Quavis fere pagina nostri libelli innumerabilia immutationum comparationis graduum[144] testimonia inveniuntur. Quod in adiectivis et adverbiis exsistit, sic ut raro consilium certum statui possit. Aliquot tantum exempla in medio ponam. Comparativus pro positivo positus est[145]: 5, 22 infirmiora (ἀσθενέας): 9, 15 calidiores (θερμάς); 17, 8 dulciora (γλυκέα); 19, 25 ferventiores (-tior A) (πυρετώδης); 29, 22 mitiora facientes (ἡμεροῦντες).

Positivus pro comparativo (Wölfflin p. 180 sqq): 9, 16 moderatum (μετριώτερον): 25, 18 facile (θᾶσσον); 31, 15 stagnosis et paludestribus (λειμακεστέροις τε καὶ ἑλώδεσιν); 9, 14 salutares (ὑγιεινοτέρας); 33, 31 inbecilles (ἀπολεμώτατοι). Exempla positivi pro comparativo adhibiti occurrunt rarissime omnium permutationum graduum. Cum viginti et plus exempla omnium immutationum afferri possint, positivum loco comparativi novies tantum positum esse observamus (eadem res Oribasio confirmatur cfr. Hungerum p. 32 sq.).

Comparativus pro superlativo (Wölfflin p. 178 sqq): 11, 5 magis (μάλιστα); 15, 25 quod facilius et tenuissimum est humoris (τὸ λεπτότατον τῆς ἰκμάδος καὶ κουφότατον); 19, 4 quod grave est et spissius (τὸ βαρύτατον καὶ παχύτατον); 21, 5 quod pinguius (-guis

---

140) Marcell. XVI,1.
141) Bonnet p. 397; Löfstedt Syntactica II p. 81 sq.
142) Wölfflin, Ges. Schriften p. 126 sqq; Meyer-Lübke Roman. Gram. II p. 83; III, 60 sq.
143) Salonius p. 187; magis maxime: Mulomed. Chir. 16, 11; 154, 18; Wölfflin p. 162.
144) Wölfflin p. 167 sqq; Hunger p. 29 sqq.
145) Wölfflin p. 174 sqq.

P) et turbulentius (τὸ παχύτατον καὶ τὸ θολωδέστατον); 27, 8 quod est liquidum et aquatius (τὸ ὑγρότατον καὶ ὑδαρέστατον.)

Superlativus pro comparativo: 5, 23 maxime (μᾶλλον); 7, 32 maxime (μᾶλλον); 7, 18 plerique (plere- P) (πλείους); 31, 6 maxime (μᾶλλον); 21, 24 plurimum (πλεῖον); 47, 3 maximam partem (πλέον μέρος). Superlativus pro positivo[146]): 3, 4 plurimum (πολύ); 7, 2 plurimas (πολλάς); 31, 12 plurimum (μεγάλου); 33, 12 plurima (πολλαί); 43, 13 plurimum (πολλά); 7, 4 plerumque (πολλά); 9, 3 pessima (χαλεπῶς); 11, 22 pessima (πονηράς); 13, 16 pessimas (μοχθηρά); 13, 23 pessimam (χαλεπά); 33, 27 pessima (χαλεπή); 13, 22 optimas (ἀγαθά); 25, 14 optimis (ἀγαθοῖσιν); 9, 30 facillime (ῥηιδίως); 21, 21 facillime (ῥηιδίως); 19, 13 de proximu (ἐκ βραχέος). Superlativos "pessimus, plurimus" in locum "malus, multus", successisse videmus, quandoquidem positivi in singulis terris peribant, ut lingua Francogallica dilucide demonstrat (mauvais, beaucoup). Item ex forma "appropinquare" orta est locutio "approssimare", quae in Italorum lingua hodieque durat (approssimare cfr. Wölfflin p. 172; Moerland p. 174).

Positivum pro superlativo usurpatum legimus[147]); 5, 10 multum (πλεῖστα); 5, 10 parva (ἐλάχιστα); 29, 4 multum (πλεῖστον); 9, 33 morbida(m) (νοσερωτάτην); 13, 1 mortificantes (θανατωδέστατοι); 29, 24 frequenter (πυκνότατα); 47, 21 magnae (μέγισται); 31, 9 magna(s) (μεγίστας).

Aliquotiens comparativi "plus" et "magis" inter se permixti sunt: 21, 1 plus (μᾶλλον)[148]); 43, 22 plurimum (μάλιστα); 47, 3 maximam partem (πλέον μέρος); 11, 17 maxima (-e P) parte (πλεῖστον μέρος).

De ablativo comparationis.

Praeter ablativum comparationis coniunctio ablativi cum praepositione "a" creberrime in nostro libello occurrit, qui usus in inferiore Latinitate effusus erat[149]). Nam cum formae casuum temporibus procedentibus, praecipue in lingua vulgari — qui status linguis Romanensibus conservatus est — phonetice sensim confluerent, praepositiones fines magis magisque amplificaverunt. Quo fit, ut praepositio "a" ad ablativi separativum colorem enucleandum apponatur. Quaedam exempla proferantur ex nostra versione: 9, 24 homines meliores ab his qui (βελτίους τῶν); 9, 14 has oportet salutares ab his quae (ὑγιεινοτέρας τῶν); 31, 6 differentes maxime sibi ipsi sunt ab his quae praedicta sunt (διάφορα αὐτὰ ἑαυτέων μᾶλλον ἐστὶ τῶν προδιηγημένων).

146) Salonius p. 196; Niedermann N. J. 1912 p. 335.
147) Wölfflin p. 180 sqq.
148) Scheifler p. 65; Medert p. 69 adnot. 3.
149) Löfstedt Syntactica I p. 256 sqq; Lommatzsch, ThLL I, 39 sq.

Pariter atque in posterioribus translationum litteris inde ab Itala usque ad ultimos delabentis Latinitatis testes, in nostro quoque libello genetivus comparationis exstat[150]): 25, 24 senioribus quadraginta (XL P) annorum; 33, 14 stabilior est omnium fluminum. Etiam in Itala genetivus comparationis copulatus cum vocabulo "omnium" saepenumero legitur, item in Oribasii versionibus exempla eiusmodi scatent. Potest cogitari hoc loco constructionem mixtam ante oculos esse, velut: stabilior omnibus — stabilissimus omnium. Aliud testimonium eius rei affero locum ex recentiore translatione: 15, 3 omnium peiores.

De generibus verbi permutatis.

Inde ab antiquissimis temporibus usque ad posteriorem Latinitatem permutationem generum verbi in lingua vulgari observare possumus. Fines activae flexionis et deponentis in lingua vulgari Latinitatis priscae instabiles, qui Ciceronis demum temporibus firmi fiunt, in lingua posteriore denuo perturbantur[151]). Quae permixtio eo facilius accidit, quod in lingua vulgari "i" finalis saepe cum vocali "e" locum commutabat. Noster libellus permutationis haec praebet exempla: activa pro deponentibus: 27, 23 contemplare (om. A)[152]) 19, 1 remeties (remittens A) (ἀναμετρεῖν)[153]). Deponentia pro verbis activis: 9, 4 enutriri (τρέφειν); 13, 12 perveniri (προγηράσκειν); 5, 14 considerari atque probari (- re - re A) (σκοπεῖν καὶ βασανίζειν); 29, 24 generari (-re A); 29, 23 vegetari (vegit -A) (εὐθίνειν); 21, 22 extensus est (ἅπτεται); 7, 23 sic haberi (ἔχειν); 9, 13 ita habetur; 29, 5 haberi; 31, 5 habetur.

Accedunt nonnulla activa, quae passivorum loco usurpantur[154]): 21, 15 efficit (-tur A) (γίνεται); 31, 30 efficeret (γενέσθαι); 31, 33 faciunt (γίγνονται). Vox "facere" pro "fieri" posita etiam in Mulomedicina Chironis invenitur: 57, 5 in temporibus collectiones faciunt; 31, 3 donec maturum faciat. Item in versione epistulae Clementis ad Corinthios scriptae: quomodo aliis facitis, sic et faciet vobis (. . . ποιηθήσεται ὑμῖν)[155].

---

150) ALL VII p. 117 sqq; Moerland p. 111.
151) J. B. Hofmann, de verbis quae in prisca latinitate exstant deponentibus, München 1910; Löfstedt, peregr. p. 214 sqq.
152) ThLL IV, 650,15.
153) Neue-Wagener III p. 61 sq.
154) Bonnet p. 628; Scheifler p. 64; Haag § 84.
155) ALL IX, 91; etiam in Oribasio v. Moerland p. 154; Salonius p. 256; Haag p. 240.

De coniugationibus commixtis.

Ut apud alios scriptores vulgares[156]), sic ex nostro libello transitus singularum coniugationum conspicitur: 11, 10 cedat; 11, 18 manantes (francogall. manant); 47, 10 educant (ἐξοχετεύουσιν); 23, 18 desinire A (om. P) (cfr. Mulomed. Chir. p. 34, 28 desiniat; 213, 28 desinies); 47, 8 inhaer[er]et (ἄν . . . ἐνείη). Novissimum hoc exemplum esse videtur futurum, nam ubique in nostro libello potentialis modus Graecus per futurum redditur. Itaque liquet formam "inhaeret" in tertiam declinationem transisse.

Crebrior est transitus tertiae coniugationis ad secundam, isque in persona tertia praesentis singularis et pluralis, qua in re res phoneticae multum valuerunt[157]). Nihilosecius potius mihi persuasum est transitum -unt ad -ent rerum morphologicarum esse. Praeter locos supra commemoratos (p. 14) haec exempla affero: 35, 18 ferent; 43, 13 retribuent; 37, 13 trahent; 45, 7 obtundent[158]).

De recompositione.

Recompositio, quamvis linguae vulgaris propria sit[159]), in nostro libello perraro tantum legitur. Neque tamen hi loci pro veris testimoniis accipiendi sunt, quod fieri potest, ut graphice ex permutatione vocalium "e" atque "i" explanari possint: 13, 24 resedit A (resi- P) (λείπεται); 27, 9 resedit A (resi- P) (λείπεται); 35, 18 sustenere (cfr. francogall. soutenir).

De adverbiorum formatione.

Aliquot adverbia contra bonae Latinitais usum in "de aëre" formata sunt: 3, 9 multe (multum A); 11, 10 nimie[160]) (σφόδρα); 23, 4 nimie (nimia et P; nimiae A (λίην); 13, 7 difficile[161]). Neutrum locum adverbii saepe occupat velut: 11, 4 matutinum (ἕωθεν); 11, 5; 43, 29 reliquum (τὸ λοιπόν); 31, 19; 39, 6 modicum (ὀλίγον).

---

156) Bonnet p. 430 sq; Werner p. 34 sq.
157) -et = -it cfr. 13; -ent = -unt cfr. p. 14; Meyer-Lübke, Roman. Gram. II p. 173 sard: vendo, vendes, vendet.
158) -ent = -unt cfr. Bonnet p. 429 sq; Werner p. 34.
159) Lindsay-Nohl p. 231; Scheifler p. 59; Löfstedt peregr. p. 259.
160) Neue-Wagener II p. 595; Liechtenhan p. 75.
161) Neue Wagener II p. 586.

Pars tertia.

De syntaxi.

Cum in phonetica et morphologica saepissime in tenebris erremus, quod interdum potestas deest diiudicandi, quid librariis, quid interpreti imputandum sit, res in syntaxi aliquanto melius se habet.

De numeris.

Pluralem in vocabulis et abstractis et concretis in vicem singularis numeri positum invenimus[162]): 29, 18 a siccitatibus et inaquosis siccantur (om. P.) (ὑπὸ αὐχμῶν καὶ ἀνυδρίης ἀναξηραίνεται); 29, 19 nivibus (χιόνος); 37, 13 nives (χιόνα); 37, 30 nivibus (χιόνος); 45, 19 animositates (εὐψυχίην); 23, 12 corpora et carnes (τὸ σῶμα καὶ τὴν σάρκα);[163]) 41, 15 carnium (σαρκός); 11, 25 in sanies: hoc loco interpres legit "πεπυωμένος„ pro "μεμυωμένος"[164]). Pluralis vocabuli "sanies" non legitur nisi apud Caelium Aurelianum (de signif. diaet. passionum 97, 98 sanierum). Pluralis igitur evitatur, id quod Charisius etiam docet (p. 33, 10 Barwick): "item feminina semper singularia: sanies." Qui usus inde oriri poterat, quod lingua vulgaris inclinationem in maius augendi habet.

Praeterea pluralis numerus in pronominibus pro singulari crebro in lingua vulgari usurpatur[165]): 7, 13 haec (τουτέου) (haec = hoc v. Diehl, inscr. christ. vet. III. p. 532); 15, 33 alia quaecunque (alia aut quae- P) (ἄλλου του).

Posterioris Latinitatis proprium est post neutrum plurale pronominis verbum numero singulari sequi[166]). Ex nostro libello hanc constructionem aliquotiens reperiri posse puto: 41, 20 unaquaque habet natura(m) eorum; 21, 2 haec (om. P) passa fuerit; 5,5 ea, quae periculum adferat (-ant A).

Singularis numerus est positus, ubi textus Graecus pluralem exhibet his locis: 3, 12 ad flatus ventorum et solis ortum (ἀνατολάς); 5, 16 in medio hiverni (hib- A) hortum (ortus A) solis et occasum hiverni (occasus hib- A) (χειμερινῆς ἀνατολῆς . . . καὶ τῶν δυσμέων τῶν χειμερινῶν). Haud scio an hi singulares permutationibus terminationum -m et -s provocati sint[167]).

---

162) Löfstedt, Syntactica I p. 24 sqq; Salonius p. 76 sqq.

163) Salonius p. 76; Linderbauer p. 308; CGlL III,558, 14; 622, 31: carnes κρέας.

164) Niedermann, Rev. de phil. p. 225.

165) Linderbauer p. 262.

166) Hofmann p. 631[4]; Löfstedt Syntactica I p. 8.

167) p. 18 sq.

De casibus[168]).

Declinationum interitus, quem in linguis Romanensibus ad finem perductum observamus, iam in lingua vulgari manifesto apparere coepit. Accusativus, qui in linguis Romanensibus plane fere in locum nominativi successit[169]), in hac functione compluribus locis legitur, non modo in singulari, ubi res cum phonetica cohaeret, sed etiam in plurali. Quaedam exempla commemorentur: 37, 30 semper flans flatos frigidos (πνέουσι πνεύματα ψυχρά); 25, 17 si aestatem siccum (aestas si sicca A) fuerit; 37, 32 aerem . . . . contine(n)t multum (ἠήρ τε κατέχει πουλύς); 37, 16 secuntur . . . boves et equos (ἕπονται . . αἱ βόες καὶ οἱ ἵπποι); 41, 11 ventres (-ris P) frigidos et molles (αἱ κοιλίαι ψυχραὶ καὶ μαλακαί); 17, 19 raucitudinem (raucet- A) . . . efficitur. In posterorum temporum lingua constructionem impersonalis passivi cum obiecto coniuncti observamus[170]).

Adiectivum in genetivo substantivum accusativum crebro sequitur et vice versa, id quod confusionem quoque casuum lucide monstrat: 31, 3 in dextra solis hortus hiemalium (ἐν δεξιᾷ . . . τῶν ἀνατολῶν τῶν χειμερινῶν); 7, 16 austri et calidorum flatus (τοῦ νότου καὶ τῶν θερμῶν πνευμάτων); 43, 16 talia (alia P) dilectorum (τῶν τοιουτέων ἁμαρτιῶν).

Etiam alias ex nostro libello casuum confusio eminet: 5, 19 hominum (τοὺς ἀνθρώπους); 35, 19 Asianorum (τοὺς Ἀσιηνούς). Accusativus pro genetivo est positus[171]): 29, 6 homines (τῶν ἀνθρώπων); 27, 9 sanguinem (-is A) (τοῦ αἵματος); 29, 9 usus tempora (-rum A) (χρῆσις τῶν ὡρέων); 41, 9 meatum . . . matrices (τὸ στόμα . . . τῶν μητρέων); 39, 20 articulas summas manus (τοὺς καρποὺς τῶν χειρέων). Genetivus pro ablativo loco 23, 5 excidens (exce- A) quantitatem frigoris (ὑπερβάλλων τὸν καιρὸν τῷ ψύχει). Nominativus pro genetivo invenitur: 39, 17 alicuius necessitas.

Nominativus et accusativus saepe inter se commutati sunt: 7, 1 viris vero dissinteriam et ventris fluxum et epyali et febres diurnae (et febr. epy. diur. P) (. . . δυσεντερίας καὶ διαρροίας καὶ ἠπιάλους καὶ πυρετοὺς πολυχρονίους . . .); 13, 4 huiusmodi naturae in hydropes (-is P) constituunt (=naturas); 41, 10 haec otiosae sunt in pingues (-is P) et ventres (-is P) frigidos et molles; 29, 25 homines vero robusti et specie[s] optimos et magnitudine magnos. Quo modo explanandum est nominativum cum infinitivo pro accusativo cum infinitivo poni. Duo alia exempla nominentur: 25, 3 dysinteriae (disent- A) convenit nasci. Vice versa accusativum pro nominativo cum infinitivo positum legimus: 29, 26 vide[n]tur

---

168) Ahlquist p. 3 sqq.
169) Meyer-Lübke Roman. Gram. II § 4 et § 7; Ahlquist p. 22.
170) Löfstedt peregr. p. 290 sqq.
171) cfr. App. Probi: vico capitis Africae non vico caput Africae.

regiones istos (estus P) . . . proximos esse. Quod finiens "m" non iam pronuntiabatur, accusativus et ablativus confluxerunt. Quam ob rem erat inevitabile sensum linguae perturbatum esse, ut nulla potestas recte ponendi casus esset. Huc accedit, ut in fine vocabuli vocalis "o" eundem sonum quem "um" habuerit. Ex magno numero testimoniorum pauca tantum affero: ablativus pro accusativo (Ahlquist p. 13 sqq): 3, 2 medicina (-m A); 3, 18 terra; 9, 33 positionem morbida; 21, 1 vessica; 45, 15 periculo sustinere; 39, 8 aëre humido trahentes.

Accusativus pro ablativo (Ahlquist p. 19 sqq): 37, 26 montibus praecellentes; 21, 21 manum adfrigat (-cat A) (τῇ χειρὶ τρίβει).

Ex sonorum interitu accusativi et ablativi secutum est, ut in sermone vulgari inde a temporibus imperatorum eximia permixtio utriusque casus post praepositiones exsisteret (Hofmann p. 494 sqq). Ablativum pro accusativo post praepositionem "in" adhibitum invenimus: 15, 35 quando . . . in umbra perrexerit; 11, 3 priusquam in alto se tollat; 19, 11 de palude, in quo (quam A) fluentia multa et diversa pergunt; 19, 10 de fluminibus magnis, in quibus alia flumina inmittunt (-untur A). Quibus exemplis confirmatur, quod etiam alibi in sermone vulgari et in posteriorum aetatum lingua fit, terminos "in quo" et "in quem" immutatos esse. Quae res in eo sita est, quod accusativus et ablativus in singulari omnium declinationum confluxerunt et postremum in eo erat, ut etiam adverbia locum significantia permiscerentur[172]), velut 11, 18 locum manantes (= manentes); 17, 15 alibi accidentes (= accedentes). Etiam lingua Francogallica permutationem loci adverbiorum exhibet ("où" significat et "ubi" et "quo").

Praepositio "in" cum accusativo in vicem ablativi usurpata est his locis: 5, 18 in superficiem; 9, 9 in eadem civitatem; 9, 19 in eadem civitatem.

"sub" praepositio cum accusativo pro ablativo legitur 37, 25 posita est sub ipsos (insalus P) arturos.

Hae praepositiones cum accusativo pro ablativo copulatae sunt: a: 29, 8; 39, 2. cum: 23, 3. de: 13, 21; 13, 23; 33, 16. ex: 7, 13; 9, 1; 37, 29.

Ablativum pro accusativo post praepositiones usurpatum deprehendimus: circa 29, 13 (A). per: 25, 11. propter: 39, 22. secundum: 37, 7; 43, 19. ad: 37, 12.

In plerisque locis debilitatio "m" terminantis est causa permixtionis casuum. Valde incertum est, utrum omnia haec exempla interpreti an librariis assignanda sint. At cum noster interpres sermone vulgari id aetatis utatur, plurima ei attribuo.

---

172) Löfstedt peregr. p. 182; Pfister, Mus. Rhen. 67 p. 202; Meyer-Lübke Roman. Gram. III p. 468.

Postquam paucis verbis ad rectionem praepositionum relegavi, de usu earum disputare liceat. Praepositio " a d " in lingua inferiore et in linguis Romanensibus temporis momentum significat[173]): 23, 23 ad vernum.

Demonstrat locum: 9, 16 si ad stadium unum intersit (στάδιον τὸ μεταξὺ ᾖ); 11, 10 ad septemtrionem cedat.

Cum accusativo gerundii et gerundivi copulata est[174]): 33, 23 ad . . . exercendum corpus feriati sunt (προςταλαιπωρεῖν τε τὸ σῶμα ἀργότεροι . . .); 5, 21 ad vescendum non idonei neque ad bibendum. "ad" regionem indicat, ut linguae Romanenses: 37, 18 ad aliam regionem transeunt[175]).

C i r c a praepositio lingua nostra indicat "in bezug auf"[176]): 9, 26 circa temperiem (κατά); 31, 8 circa alios homines; 29, 13 circa Asiam. Haud scio an "circa" praepositio genetivum Graecum circumscribat loco 5, 10 obtinevit (optinebit A) circa salutem (τυγχάνοι τῆς ὑγιείης). Posita est etiam pro praepositione "de": 31, 13 sic . . . . habe[n]t et circa homines (οὕτω δὲ ἔχει καὶ περὶ τῶν ἀνθρώπων).

Usus praepositionis " u l t r a " iuxta composita cum praepositione "trans" coniuncta posterioris aetatis est (Hofmann p. 428): 7, 9 quando ultra quinquaginta annos transierint (. . τὰ πεντήκοντα ἔτεα ὑπερβάλλωσιν).

„p e r " praepositio in sermone posteriore vim causalem assumpsit[177]): 35, 4 per (ter P) leges (διά); 33, 4 per neglegentiam.

Quae praeposition significat idem atque "de": 5, 2 per unum quodque (quoque P) (περί); "de septem" 80, 1 per singulas acutas aegritudines dicere (per om. A; acutas om. P).

"per" instrumentalem vim habet his locis[178]): 25, 11 purgari per coridia et brancho (cordia et brachio P; coriza et brancias A) (καθαίρεσθαι ὑπό τε κορύζας καὶ βράγχω); 5, 11 non parva corriget per artem (partem P) (κατ᾽ ὀρθὸν φέροιτο . . . ἐν τῇ τέχνῃ).

Praepositio "p r o p t e r" est posita in vicem praepositionis "pro"[179]): 45, 16 propter gloriam aliorum (ὑπὲρ ἀλλοτρίης δυνάμηος). Nostra versio colorem vulgarem in ea re demonstrat, quod numquam praepositionem "ob" praebet, sed semper "propter". Haec praepositio est linguae vulgaris, illa litterarum est (cfr. Wölfflinum ALL I, 161 sqq). Duobus locis "propter" praepositio vim adverbii occupat[180]): 31, 1 propter (pr. quod A) multiformia (multum firmia

173) Roman. Gram III p. 877.
174) Ahlquist p. 59.
175) Diez, Roman. Gram. III p. 876.
176) Ahlquist p. 62; ThLL III, 1093, 69 sqq.
177) Ahlquist p. 65; Scheifler p. 71.
178) Ahlquist p. 65; Salonius p. 105.
179) Ahlquist p. 67; Löfstedt peregr. p. 219.
180) Löfstedt peregr. p. 280.

P) fiunt (διότι πολύμορφα γίνεται); 39, 7 propter species similes sibi[s] (διότι καὶ τὰ εἴδεα ὅμοια . . .).

Item praepositio "p o s t" munere adverbii fungitur: 41, 31 post cum (vestrum P) perrexerint (μετὰ ταῦτα ἐπειδ᾽ἂν ἀφίκωνται).

Tenor vulgaris sermonis etiam ex eo emicat, quod praepositio "a b" praepositionibus "ex" et praecipue "de" repellitur[181]). "a" praepositio cum aliis praepositionibus permutata est his locis: a = de: 7, 17 habe[n]t ab eis (περὶ τῶν . .); a = ex: 7, 10 a cerepro (= cerebro) (ἐκ). a = pro: 35, 9 a dominantibus (ὑπὲρ τῶν δεσποτῶν); 45, 17 ab aliis (ὑπὲρ ἄλλων).

"a" vi instrumentali affecta est[182]): 15, 34 ducitur . . . a sole; 17, 8 indulcatur a sole; 21, 9 a urina conpulsus; 29, 17 a siccitatibus . . . siccantur (om. P).

Etiam praepositio "c u m" suos fines amplificavit: 25, 3 cum rationem (curationem P; curationum A) (κατὰ λόγον); 13, 1 cum his)πρὸς τουτέοισιν); 35, 12 cum his (πρὸς τούτοισι). Nota etiam usum praepositionis qualitatem significantis[183]): 13,8 pariunt cum dolore (χαλεπῶς); 21, 2 infervescit cum vi (deest in Graeco); fortasse interpres "βιαίως" legit.

Praepositio "d e" fines prae sermone purae Latinitatis plus aequo dilatavit, ut in textu vulgari fieri consuevit. Quae in nostro libello victrix omnium praepositionum discessit. Etiamsi praepositiones "ex" et "a" pro "de" ponuntur, praepositio "de" eas multum demovit.

de = ex[184]): 7, 8 de magna metabola (ἐκ); 13, 22 de tali terra (ἐκ); 3, 17 de altis (ἐκ). de = a: 9, 32 de septemtrionali (ἀπό); 9, 6 de partu (ἀπό); 15, 23 de aquis (ἀπό); 19, 10 de fluminibus (ἀπό). "de" pro dativo posita est: 13, 23 de ventris exitum contrarias esse (πρὸς τὴν διαχώρησιν ἐναντία εἶναι).

"de" vim instrumentalem habet[185]): 17, 11 quando. . . collectum fuerit et coagulatum (coagol- P) in unum de ventis . . . (ὑπό); 39, 33 de frigore . . . candor inuritur (nutritur P); 37, 4 de calido coacti. Praepositio "de" munus genetivi explet[186]): 39, 19 de Scytharum (Sitarum- P) plerumque omnes, qui nomades (noda- P) sunt invenies (inve P) (Σκυθέων . . τοὺς πολλοὺς ἅπαντας ὅσοι νομάδες εὑρήσεις.)

de = in[187]): 7, 24 de modica et de qualibet occasione; 35, 6 de bellicam rem exerceant.

---

181) Hofmann p. 526; Meyer-Lübke Roman. Gram. III p. 486 sqq.
182) THLL I p. 34, 59 sqq.; Bonnet p. 599 sq.
183) Meyer-Lübke Roman. Gram. III § 461.
184) Ahlquist p. 76; Löfstedt peregr. p. 103.
185) Ahlquist p. 77 sq.; ThLL V,1 p. 62,18 sqq.; cfr. francogall. se pourvoir de.
186) Bonnet p. 602 sqq.
187) Müller-Marquardt p. 193.

Cum praepositio “de“, ut supra demonstravi, munere praepositionis “ex“ fungatur, fines adhibendae praepositionis “a“ angusti sunt. Aliquot autem exempla citentur: ex = a: 11, 16 ex aquis (ἀφ' ὕδατος); 19, 20 ex his (ἀπό); 17, 3 ex plurimis (ἀπό); 33, 18 ex aquis (ἀπό).

“ e x “ pro ablativo instrumentali[188]): 29, 19 humida est ex imbribus multis; 31, 18 ex his quod rotundum est capitis exterminatur; ex = in: 25, 19 ex omni occansionem.

“ s u p e r “ praepositio cum usu Romanensi congruit: 43, 25 sunt super equos[189]).

“ i n “ praepositio ita contra usum usurpata est, ut non dubitari posset, quin librariis stultis plerumque assignanda esset. Cum Brinkmannus fusissime de hac re disputaverit[190]), alias adhibendi rationes commemorare satis habeo. Instrumentalem notionem invenimus his locis[191]): 41, 29 mihi videtur in hac curatione corrumpi; 48, 2 in sole incensa (in sole et inc. P).

“in“ significat tempus: 23, 3 in autumno; 23, 5 in aestate A (om. P) (cfr. Ahlquist p. 95; Haag § 118; Meyer-Lünke III § 451 (en automne)). Etiam alibi in nostro libello haec praepositio insolitum in modum usurpatur: 41, 15 in his (πρὸς τουτέοισιν); 31, 18 differentes plurimae fiunt in speciem (διαφοραὶ καὶ πλείονες γίνονται τοῖς εἴδεσι).

Coniunctio praepositionis cum adverbio in lingua vulgari usitatissima erat, id quod linguis Romanensibus comprobatur (cfr. de intus > francogall. dans; de postea > francogall. depuis) [192]). Etiam semel praepositio “in“ cum adverbio conexa esse videtur: 21, 11 in (om. A) eodem (ἐνταῦθα).

De praefixis permutatis.

Hoc loco pretium est perscrutari, quomodo praefixa in compositis adhibeantur. Quae usitatissimo usu detrita sunt et significatio debilitata est. Ut etiam apud alios scriptores, qui tunc scripserunt, interpres noster ea promiscue posuit[193]). Aliquot exempla afferre velim: 3, 4 deferunt (diff- A); 19, 24 demittunt (di- A)[194]). Item “per, prae, pro“ in codicibus non satis distincta sunt: 5, 2 praevideat (pro- A)[195]); 21, 9 perhibet (pro- A) (κωλύει);

188) Ahlquist p. 85.
189) Ahlquist p. 96.
190) p. XXII sqq.
191) De vi instrumentali cfr. Ahlquist p. 91; Pfister, Mus. Rhen. 67 p. 202; (cfr. aller en auto).
192) Salonius p. 218; Löfstedt peregr. p. 269.
193) Bonnet p. 228 sq; Linderbauer p. 243.
194) Praefixa “de“ et “di“ confusa sunt cfr. Grevander p. 144; A. Marbach p. 51.
195) Linderbauer p. 286.

37, 26 praecellentes (Ῥιπαίοισιν). De vocabulis "praecello" et "procello" conferas velim Serv. ad Verg. Georg. 3, 382 et CGIL VII, 2 p. 114 et 133. Testimonio sint etiam haec exempla: 21, 3 inurit (inhuret P) (συγκάει); 29, 17 inuruntur (ἐκκέκαυται); 21, 3 decoquit (dequoque P; dequoquent A) (ξυνέψει); 35, 2 pergentes (ἐγείρουσι); 47, 3 continet (μετέχουσι); 11, 7 retinere (μετέχειν); 33, 36 retinere (μετέχειν). Etiam mutatio praefixorum in substantivis huc spectat. Variatio locutionis, qua est interpretis vulgaritate, requiri non potest. Pauca exempla profero: 7, 25 disruptiones (ῥηγματίας); 7, 21 corruptiones (ῥηγματίαι).

De adverbiis pro praepositionibus positis.

Adverbia muneribus praepositionum fungi in nostro libello observamus: 7, 14 quaecumque contrarie his positae sunt (ὁκόσαι ἀντικέονται τουτέων); 31, 32 semen enim undique veniens corporis (ὁ . . γόνος πανταχόθεν ἔρχεται); 31, 3 in dextra solis hortus hiemalium; 5, 15 in medio hiverni hortum solis et occasum hiverni; 29, 10 in medio hortus solis; 29, 14 in medio . . . frigidi et calidi. Locutio "in medio" cum genetivo vel accusativo copulata vim praepositionis occupat, id quod in linguis Romanensibus superstes est (in vetere Francogallica enmi, hispan. en medio cfr. Meyer-Lübke Roman. Gram. III § 137.)

De casibus.

Postquam de casuum permixtione locutus sum, iam usum singulorum casuum tractare aggrediar. Ansas exstare et in nostro libello et in vulgari Latinitate accusativi tollendi ad casum universalem supra vidimus. Itaque non est mirum locutionem "uti" bis cum accusativo conexam inveniri[196]): 39, 30 modice ambulationem utuntur; 43, 1 uti illas.

Accusativus limitationis saepe legitur[197]): 39, 20 invenies (inve P) ustos (urtos P) humeros (humores P) et brachia; 31, 5 speciem differentes; 48, 4 vigilantes (invig- P) mores et iracundia(m).

Nostra versio aliquotiens ab universo usu dativi abhorret. Dativus est positus pro "in" cum ablativo[198]): 47, 18 huic regioni (-es P) (ἐν ταύτῃ τῇ χώρῃ). Dativum in vicem genitivi legimus his locis: 19, 22 quibus ergo concavitates (-em P) . . . latae (flatae P) et salubres sunt (ὁκόσων); 29, 26 minime differentes speciem (in speciae A) sibi (ubi P) (. . διαφόρους ἐς τά τε εἴδεα αὐτοῦ).

---

196) Hofmann p. 436; v. indicem Oderi ad Mulomed. Chir. p. 449; indicem ad Marcell. p. 318.
197) Müller-Marquardt p. 171.
198) Ahlquist p. 29; Bellanger p. 82; Meyer-Lübke Roman. Gram. III p. 51 sq.

Plus aequo dativus ethicus usurpatus est, crebrius quam in textu Graeco. Affero hosce locos: 5, 24 morbi autem regionales tales eis sunt; 7, 11 haec ergo illis aegritudines (-is P) regionales sunt (αὐτέοισιν); 7, 21 corruptiones eis (eius P) ... contingunt; 7, 25 disruptiones eis faciunt.

Dativum cum verbo "miscere" coniunctum invenimus: 11,2 aquae mixtum.

De certamine genetivi et ablativi qualitatis dicendum est nostrum interpretem crebrius genetivum quam ablativum posuisse, id quod linguae vulgari plane respondet[199]). Contra in Mulomedicina Chironis ablativus qualitatis praevalet. (Ahlquist p. 27 sq). Ablativum qualitatis deprehendimus his locis: 9, 19 odore bono[s]; 47, 5 nigris capillis; 47, 26 occultis (-es P) articulis (et articules P). Genetivus qualitatis positus est: 9, 21 boni coloris (-es P) (εὔχροα); 9, 23 clarae vocis (-es P) (λαμπρόφωνοι); 11, 21 mali coloris (-es P) (ἄχροα): 35, 5 sui[s] iuris (αὐτόνομες); 35, 16 (sui) iuris; 45, 17 sui iuris; 48, 4 sui[s] iuris; 13, 3 multi temporis (πολυχρόνιοι).

Adiectivum et genetivus qualitatis iuxtaponuntur: 9, 19 odore bono[s] et molles (moles P) et non difficiles nasci (εὐώδη καὶ μαλακά); 29, 15 haec quidem fructuosa est et aquosa (-ae P) et (iam P) boni odoris (-es P) (.. εὐκαρποτάτη ἐστὶ καὶ εὐδενδροτάτη καὶ εὐωδεστάτη) (sic legit interpres).

Vocabula "huiusmodi, huiuscemodi, eiusmodi" in nostra versione indeclinabilia adhibentur: 19, 5 puto noxiores huiusmodi aquas esse (ταῦτα); 41, 19, eiusmodi causae thiae esse (causatı esse P); 11, 29 voraces autem esse et sitientes huiusmodi. Has voces indeclinabiles esse elucet praecipue ex his locis: 27, 26 de huiusmodi sic ergo (ergo sic A) est (περὶ μὲν τουτέων οὕτως ἔχει); 17, 2 eiusmodi (διὰ ταῦτα).

Inferioris Latinitatis consuetudini convenit[200]), quod genetivus inhaerentiae, qui vocatur, in nostro libello deprehenditur: 3, 5 flatus ventorum (τὰ πνεύματα); 3, 12 ad flatus ventorum (πρὸς τὰ πνεύματα).

Genitivus pro dativo est positus[201]): 11,8 nihil eorum privati(m) (οὐδὲν αὐτοῖς ἀποκέκριται).

Postremum aliquot exempla genitivi proferantur, quae demonstrant, quomodo interpres noster interdum verbum ex verbo convertat: 29,5 Asiam multum differre dixi Europae (Εὐρώπης); 31, 19 differunt gentium (τῶν ἐθνέων); 21, 22 accensus (extensus codd.) est canalis (ἅπτεται τοῦ οὐρητῆρος) 11, 4 aestus (τοῦ θέρεος).

Praeterea nostra versio a lingua bonae Latinitatis etiam eo

199) Löfstedt peregr. p 160; ALL XI p. 197 sq.
200) Pfister, Berliner philolog. Wochenschr. 34 (1914) p. 1149; Hofmann p. 823.
201) Löfstedt peregr. p. 273.

discrepat, quod ablativo temporis in vicem accusativi utitur[202]: 37, 17 tanto tempore (τοσοῦτον χρόνον); 37, 28 modico tempore (ὀλίγον χρόνον); 43, 25 plurimo[s] tempore (τὸ πλεῖστον τοῦ χρόνου); 33, 7 omni tempore (πᾶσαν ὥρην).

De adiectivis et adverbiis.

Loefstedtius linguam vulgarem adiectivum pro genetivo ponere maluisse demonstravit[203]. Qua in re nostra translatio colorem vulgarem non dissimulat. Exemplo sint haec: 27, 23 oportet autem et austrorum (astr- A) hortus (ortos A) observare et maxime caniculares (. . τῶν ἄστρων τὰς ἐπιτολὰς φυλάσσεσθαι καὶ μάλιστα τοῦ κυνός); 17, 19 bibunt lac equinum (γάλα ἵππων); 11, 20 pluvialem aquam influentem (τοῦ τε ὀμβρίου ὕδατος ἐπιτρεφομένου).

Plus solito adiectivum vi substantivi adhibitum est. Fines adiectivi et substantivi iam ex vetustissimis temporibus in dialectis Latinis obscurati sunt, id quod etiam in lingua Italiana conservatum est[204]: 3, 13 ad septemtrionalem (septemtrionem A) (πρὸς βορέην); 9, 32 de septemtrionali (ἀπὸ τῶν ἄρκτων); 29, 10 ad matutinum (a matutino A) (πρὸς τὴν ἠῶ); cfr. Meyer-Lübke REW 5434 ital. matutino; francogall. matin; 33, 8 victus autem sunt hominibus in (om P) paludestribus (ἐν τοῖς ἕλεσιν); 31, 18 differentes (διαφοραί); 31, 16 campestribus (πεδίῳ); 23, 6 vernum (τὸ ἦρ); 23, 21 vernum. Quod vocabulum "vernum" vulgare esse comparatio Chironis cum Vegetio, quem stilum Mulomedicinae Chironis transmutavisse notum est, demonstrat: 163, 16 (Oder) verno incipiente; 235, 17 (Lommatzsch) incipiente vere; 29, 18 a siccitatibus et inaquosis (ἀνυδρίης).

Vice versa substantivum legitur, ubi adiectivum exspectes. Cuius rei testimonia alibi in Romanorum litteris nusquam invenire potui. Pauca proferantur: 13, 15 cum matrices hydropes fuerint (ὑπὸ ὑδέρου ὁκόταν ὑδρωπιήσωσιν αἱ ὑστέραι); 33, 21 qui (h)ydropes (-is P) sunt (ὑπὸ ἰκτέρου ἐχόμενοι); 33, 8 habitationes autem ligna et cannae in aquis fabricatae (τά τε οἰκήματα ξύλινα καὶ καλάμινα ἐν τοῖς ὕδασι μεμηχανημένα).

Adiectiva et adverbia sine discrimine ponuntur[205] his locis: 5, 4 aegritudines futurae omnibus communiter civitatem optinebunt (civitati eveniant P) (νοσήματα πάγκοινα); 31, 22 non est alia gens quae similiter capita habea[n]t (οὐκ ἔστιν ἄλλο ἔθνος ὁμοίας τὰς κεφαλὰς ἔχον οὐδέν). Adiectivum munere adverbii fungitur[206]: 17, 16 priores

202) Ahlquist p. 48; Löfstedt peregr. p. 51; A. Ahlberg, Durative Zeitbestimmungen im Lat., Lund 1906.
203) Löfstedt peregr. p. 76 sqq; de hac re cfr. etiam Salonius p. 179 sqq; Wackernagel, Genetiv und Adjektiv, Mélanges Saussure p. 137 sqq.
204) Hofmann p. 458; Planta, Osk. Umbr. Gram. II, 420; Tobler, Vermischte Beiträge 2 p 272.
205) Löfstedt peregr. p. 213 sq; Philolog. Wochenschrift 1912 p. 891 sqq.
206) Löfstedt, Syntactica II p. 111 sqq.

conglobantur (πρῶτον); 33, 11 transme[t]ant superiora et inferiora (ἄνω καὶ κάτω); 33, 24 tempora non multa (πολύ) demutantur (hidemutantur P).

De participiis absolutis.

Ablativus absolutus semel libero modo exsistit loco 9, 2: menstruis non aptis sed modicis et len(t)is (αἱ γὰρ καθάρσηες οὐκ ἐπιγίνονται τῶν ἐπιμηνίων ἐπιτήδειαι, ἀλλὰ ὀλίγαι καὶ πονηραί).

Insuper accusativum et nominativum absolutum observamus, qui usus in labentium aetatum libris creberrime legitur[207]. Quaedam exempla ex "de aëre" nominentur: 9, 8 procedente aetatem; 11, 20 pluvialem aquam influentem frequenter novam (-um P); 25, 12 aestatem supervenientem (om. A) et aestu(m) et inmutationem supervenientem (et aest. sqq om. P); 5, 3 tempus adveniente; 39, 33 non adveniens (οὐκ ἐπιγενομένου; verba "ὀξέος τοῦ ἡλίου" exciderunt); 31, 32 semen enim undique veniens corporis. Accusativus absolutus est fundamentum absoluti participii in linguis Romanensibus (cfr. Biese p. 88 sqq) (v. Francogall. cela fait . . .).

De coniunctionibus.

s e d particula particulis "autem" et "vero" removetur. Aliquotiens tantum cum integrae Latinitatis usu dissentit: 7, 31 pauca quidem (pleraque P), sed fortia haec (ὀλίγα μέν . . ., ἰσχυρὰ δέ), Haec particula adversativam vim non habet, potius corroborat id, quod sequitur (Hofmann p 665 [3]): 3, 17 sed et (= καί); 3, 15 sed et (haec P) (= καί) ;11, 26 sed et(= καί). Locutionem "sed magis duras" (13, 22) (ἀλλὰ σκληρά) circumlocutionem comparativi esse Brinkmannus putat. At ego existimo locutionem exhibere duplicationem particulae "sed", id quod linguae vulgaris proprium est[208]. Itaque "magis" significat idem ac "sed", quod in linguas Romanenses intravit[209]) (francogall. mais; ital. ma).

v e r o particula adversativum sensum amisit. Hebetatur ad continuandi particulam, velut: 9, 1 vero (δέ); 5, 19; 21, 19 vero (τέ); 19, 24; 41, 6 vero (μέν). In initio enuntiati posita est loco 9, 13[210].

---

207) Bonnet p. 558 sqq; Ahlquist p. 50 sqq; Löfstedt peregr. p. 158; M. Biese, Der spätlat. Accusat. absol. u. Verwandtes, Helsingfors 1928; F. Horn, zur Geschichte der absoluten Participialkonstruktion. Lund 1918.

208) Compaernass Glotta V p. 218; Anthimi indicem p. 46 sub voce "magis".

209) J. Melander, Etude sur magis et les expressions adversaires dans les langues Romanes, Uppsala 1916 p. 24 sq.

210) v. indicem Cypriani (ed. Hartel) p. 458.

Particula autem quoque adversativum sensum omisit[211]). autem (μέν); 3, 23; 13, 15. autem (δέ); 5, 19. autem (τέ); 9, 5. autem (γάρ); 31, 4; 31, 14; 37, 14 (ThLL II, 1588). autem (ὥστε); 3, 10; ex his autem (καί . . .) 3, 22. Quae in principio posita est hisce locis: 23, 13 autem maxime (μάλιστα δέ); 37, 18 autem cum (ὁκόταν δέ). Haec positio a Quintiliano (1, 5, 39) reprehenditur. ThLL II, 15 78, 3 sqq notat nullum exemplum certum huius positionis exstare[212]).

at particula haud secus debilitata est: 21, 6 at (δέ) (ThLL II, 1004, 26).

tamen particula transitum duorum enuntiatorum exhibet[213]): 9, 16 tamen si (ἢν καί . .); 37, 4 de Aegyptis tamen quoniam . . . (καὶ περὶ τῶν Αἰγυπτίων).

De particulis causalibus.

Etiam hic fines notionis causalis et adversativi sublati sunt. enim[214]) = δέ; 7, 23; 31, 17; 39, 32. enim = τέ: 33, 7; 33, 17; 33, 23. enim = οὖν: 19, 19; 31, 33. Haec particula in initio posita est loco 17, 24[215]).

etenim = μέν: 11, 31; 35, 21. etenim = τέ: 39, 28.

quidem (Bonnet p. 318; Hofmann p. 683): = μέν 5, 24. quidem = δέ 27, 11; 45, 15; 47, 4. quidem = τέ 5, 19; 47, 10. Particula "enim" pro "nam" semper posita est, cum "nam" uno tantum loco exsistat; 43, 8 nam oportet (καίτοι ἐχρῆν). Quo loco "nam" vim causalem perdidit[216]).

De particulis conclusivis.

ergo particula transitum vel continuationem conclusiva notione privata significat[217]): ergo = μέν; 7, 11; 19, 22; 33, 29. ergo = δέ: 37, 31. Quae particula enuntiationem primariam instituit loco: 31, 18 (v. Hunger p. 48). Posita est pleonastice: 43, 13 convenit ergo enim (εἰκὸς γάρ).

De copulativis.

quoque particula semel tantum usurpatur: 3, 15 sed et (haec P) de aquis quoque (quae A) (καὶ τῶν ὑδάτων). Quo loco usum pleonasticum habemus (cfr. Werner p. 111).

211) Löfstedt peregr. p. 33. ThLL II, 1588, 34 sqq.
212) v. Hofmann p. 668.
213) Bonnet p. 316; Ahlquist p. 101 sq.
214) Bonnet p. 66; Löfstedt peregr. p. 34; Salonius p. 343.
215) Bernhard. Der Stil des Apuleius. Tübinger Beiträge II p. 28.
216) Bonnet p. 317 sqq; Löfstedt peregr. p. 34.
217) Bonnet p. 318; Werner p. 111.

etiam duas res conectit (= et): 27, 25 transeunt in aliam speciem etiam (et A) in aliam inmutationem.

et particula reddit Graecum „καί“ in significatione cum “quoque“ tum “etiam“, ut omnino post auream Latinitatem fit (Bonnet p. 314 sq). Cum permulta exempla exstent, id praetereo. Quae particula pleonastice posita est: 11, 28 propter quod et macilenti fiunt (διότι ἰσχνοί εἰσιν); 21, 6 et primo quidem (quidem pr. A) (τὸ μὲν πρῶτον).

Aliquotiens “et“ particula apodosin inducit[218]: 5, 8 et quae singula eorum fiant, et praevidebit (videbitque A); 19, 4 neque enim quod grave est et spissius, et exterminabitur (spissius ext- A). Insolitus est usus 43, 19 similiter et hii que in aliis (ταῦτα . . ὁμοίως τοῖς ἄλλοις). Qui locus a Brinkmanno in “atque in aliis“ sine causa emendatus est. Traditum retinendum esse puto. Nam “hii“ vox est posita pro “haec“ et “que“ particula pleonastice legitur. Locutionem “similiter et“ invenimus in “de septem“ 27, 34.

“et“ particula pleonastice reperitur: 37, 3 et nec[219]; 27, 17 et (om. P) neque A.

que particula insolitum in modum usurpata est, qui a bonae Latinitatis sermone alienus est: 41, 5 adhucque (καὶ ἔτι); 33, 27 haec autem flat aliquotiens violenta et pessima et calidaque cenchronem (centronem P) nominant huiusmodi flatus (αὕτη δὲ πνέει ἐνίοτε, βίαιος καὶ χαλεπὴ καὶ θερμὴ καὶ κέγχρωνα ὀνομάζουσι . . .); 29, 26 que vide[n]tur (εἰκός τε). Quam particulam pleonastice legimus[220]: 39, 8 cibo utuntur semper simili (-es P) et (om. P) vestem eadem aestate[m] eademque et hieme (σίτῳ τε χρεόμεναι ἀεὶ ὁμοίως ἐσθῆτί τε τῇ αὐτέῃ καὶ θέρεος καὶ χειμῶνος); 11, 20 quasi que (ἅτε): 13, 18 quam que sunt ex terra (ἢ ἐκ γῆς); 43, 16 itaque ut (et P)[221] (ὥστε); 11, 30 utque (et -P) (ὥστε).

De disiunctivis coniunctionibus.

Coniunctiones “aut“ et “vel“ peculiarem vim amiserunt, ut saepissime in lingua vulgari[222]: 3, 21 laboriosi vel voraces (καί); 9, 17 calidum vel frigidum (καί); 3, 20 aut pransores (καί). Scriptionem inversam reperimus: 45, 3 et (ἤ); 9, 19 et (ἤ).

Notabilis est etiam duplex quaestio: 3, 17 utrum . . . an . . . sive (πότερον . . . ἤ . . . εἴτε); 3, 18 utrum nuda (= terra) et

---

218) Hofmann p. 660; Baehrens, Beiträge zur lateinisch. Syntax, Philolog. Supplement. XII p. 426 sqq.
219) Schmalz, Glotta VI p. 177 sq; Ahlquist p. 138 sqq.
220) de hoc usu cfr. Löfstedt Studien p. 27 sqq; Beiträge p. 37 sq; Ahlquist p. 138.
221) et = ut: 11,30; 17,26 cfr. Ahlquist p. 128.
222) Löfstedt peregr. p. 197 sqq; Grevander p. 105 sq.

sicca aut frondosa (πότερον . . . ἤ)[223]; 3, 20 utrum potatores (put- P) sunt . . . aut . . . . aut (πότερον . . ἤ).

De particulis coacervatis.

Iam aliquotiens pleonasmum, qui vocatur, invenimus, exempli gratia in particula "que" tractanda. Alibi quoque in aliis particulis pleonasmum exstitisse observari potest[224]): 37, 23 sic uti (ὥσπερ); 41, 15 adhuc etiam (ἔτι); 27, 26 sic ergo (ergo sic A) (οὕτως); 43, 13 ergo enim (γάρ).

De ceteris coniunctionibus.

"ut" coniunctio loco cessit et interdum vicibus eius "quemadmodum" et "quomodo" in enuntiatis comparativis ponitur: 43, 18 quemadmodum in praeteritum dixi (ὥσπερ); 45, 13 quemadmodum Asiani (ὥσπερ); 29, 4 dicam, quemadmodum (quae ad- A) mihi videtur (ὥς); 41, 8 quomodo oportet (ὡς χρεών ἐστιν); 39, 27 quomodo in Aegypto (ὥσπερ)[225]). Coniunctio "ut" pro "quam" post comparativum posita est hoc loco: 47, 18 species conveniunt solidas et fortes et (om. P) flavas (flabas P) ut (et P) fusciores (. . ξανθότερα ἢ μελάντερα) (Ahlquist p. 128; Salomon p. 118). ut = ac (Bonnet p. 320; Werner p. 113): 33, 4 similiter ut prius.

De quibusdam adiectivis.

In lingua vulgari aliquot adverbia vix usurpari invenimus. Inde fit, ut vox "tunc" in nostra versione occurrat, nusquam "tum" (item atque in Peregrinatione Aetheriae). Vocabulum "tunc" a lingua plebeia praelatum esse videtur, id quod etiam in linguis Romanensibus superstes est[226]): 25, 11 tunc (τηνικαῦτα); 17, 16; 17, 12. Cum alibi in Latinitate vulgari (Löfstedt peregr. p. 168 sqq) "subito" adverbium adhibeatur, in nostro libello non occurrit nisi vox "repente". Quod ita explanandum est, ut nullum documentum absolutum vulgaris Latinitatis exstet "jede Art schriftlicher Darstellung stilisiert bewußt oder unbewußt bis zu einem gewissen Grade[227])."

---

223) de "utrum — aut" v. Thulin, Eranos XIII p. 45; haec coniunctio legitur apud Hyginum ceterosque agrimensores.
224) Löfstedt Beiträge p. 31 sq; Niedermann N. J. 29, 1912, p. 336.
225) de "quomodo" in linguis Romanensibus v. Pirson, "quomodo" en latin vulgaire, Festschrift Vollmöller 1908 p. 61 sqq; Grevander p. 91 sq; Joh. Vising, quomodo in d. roman. Sprachen, Halle 1895 p. 113 sq.
226) Meyer-Lübke REW 8983.
227) Niedermann N. J. 29, 1912, p. 318.

In posteriore sermone adverbium "tertio" pro "ter" saepe ponitur[228]), cuius rei testimonio sit hic locus: 43, 2 secundo et tertio (δὶς καὶ τρίς).

De negatione.

Etiam in hac re colorem vulgarem nostrae translationis observamus. Interpres adverbium "minime" pro "non" posuit: 7, 27 minime (οὐ)[229]). nihil = non: 43, 1 nihil considerans (οὐ) (Hofmann p. 643).

Ut iam in lege duodecim tabularum, negatio "nec" item atque "non" significat. Ex nostro libello confer haec exempla: 37, 3 quoniam sibi ipsi similant et nec alia aliis; 39, 29 quousque neque (eaque P) in equitatum exerceant (ἕως ἂν οὐχ . . .).

Usitatissimus quoque est usus vocis "necdum" pro nondum[230]): 17, 10 et necdum (καὶ μήπω). neque — et = neque — neque[231]): 3, 13 neque ad solem orientem et quae ad occidentem (οὐδέ -οὐδέ). Negatio "neque" nisi in secundo membro non posita est pro "neque — neque" [232]): 39, 23 non enim possunt sagittarum arcus extendere neque iaculum (= iaculo) incumbere humero (οὐ γὰρ δύνανται οὔτε τοῖς τόξοις ξυντείνειν οὔτε τῷ ἀκοντίῳ ἐμπίπτειν τῷ ὤμῳ).

"si non"" pro "nisi" linguae populari convenit, quandoquidem lingua Francogallica dicit: "s'il ne loue pas" (Bonnet p. 321). Cuius rei exempla in nostro libello exstant: 9, 22 si aliqua aegritudo non prohibuerit (ἢν μή . , .); 21, 15 de lacte (ledet P) si non salubris (-brem A) (ἢν μή).

De verbo.

Multa nova verba impersonalia in posteriore Latinitate ad analogiam orta sunt. Illustrissimum exemplum est "habet" (cfr. francogall. il y a; ital. ci ha). Cuius rei testimonium in nostro libello invenitur: 3, 11 considerare debet (χρή)[233]. Haud scio an transitus verbi impersonalis ad personale retinendus sit hisce locis: 47, 18 huic regioni (-es P) (= in hac regione) species conveniunt solidas et fortes . . . (ἐν ταύτῃ τῇ χώρῃ τὰ εἴδεα εἰκός τε σκληρὰ εἶναι καὶ ἔντονα); 27, 1 (i)sfacelismos (his faciles mox P; his facilissimum A) celebri A (cer- P) convenient (convenit A) esse (εἰκός); 29, 26 videntur regiones . . . proximos esse (εἰκός)

228) Linderbauer p. 233.
229) Linderbauer p. 238.
230) Löfstedt peregr. p. 88; CGIL VI p. 730.
231) nec — et = nec — nec: Svennung, Orosiana p. 97; Hofmann p. 663⁴.
232) Löfstedt Studien p. 1 sqq; Schmalz Philolog. Wochenschrift 1909 p. 542.
233) Löfstedt, Studien p. 59 sq; Linderbauer p. 207.

De verbis intransitivis.

Verbum activum in mediali notione non numquam usurpatur. Quod quadrat ad linguam vulgarem, quae saepe transitivo verbo pro intransitivo utitur[234]), id quod in linguarum Romanensium usum intravit (cfr. ital. giungere < iungere). Aliquot exempla depromantur: 3,17 constringentibus (sc. aquis) (ἀτεράμνοισι)[235]; 5, 10 non parva corriget per artem (partem P)[236]) (κατ' ὀρθὸν φέροιτο οὐκ ἐλάχιστα , . ,); 17, 18 oportet autem cocere[237]) (conquiescere A) et demutare; 19, 10 in quibus alia flumina inmittunt (-ur A) (εἰς οὓς . . . ἐμβάλλουσι); 45, 9 in eo enim quod inmutat[i] (ἐν δὲ τῷ μεταβαλλομένῳ); 41, 24 deinde obdurescent et . . . vertebra vulnerant (ἀναχωλοῦνται καὶ ἑλκοῦνται τὰ ἰσχία); 17, 21 quando . . . gelaverit (lega - P) (ὁκόταν . . παγῇ); 17, 26 ut (et P) gelet (leget P) (πήξηται) (cfr. ThLL VI p. 1731, 19); 21, 3 in se decoquit (dequoque P; de quoquent A) (ξυνέψει) (ThLL V, 1 p. 201, 61 sq); 43, 28 priusquam virificant(πρότερον ἢ ἀνθρωθῆναι).

Vice versa transitivum verbum pro intransitivo positum[238]) deprehendimus his locis: 35, 11 quaecumque quidem utilia et fortia operantur (ὁκόσα μὲν ἂν χρηστὰ καὶ ἀνδρεῖα ἐργάσωνται); 41, 16 muliebria operantur (γυναικεῖα ἐργάζονται); 45, 19 sic leges non minime animositates opera(n)tur (. . . οἱ νόμοι . . . τὴν εὐψυχίην ἐργάζονται).

De temporum usu.

Ubique in lingua vulgari statui potest tempora demutationes subisse, quod in linguis Romanensibus rursus comparet[239]). Cuius rei exempla in promptu exstant. Futurum tempus pro praesenti legimus his locis: 7, 13 haec habebunt(ἴσχουσι);9, 23 clarae vocis (-es P) erunt (λαμπρόφωνοι sc. εἰσίν); 19,4 exterminabitur(ἀφανίζεται); 23, 24 inutiles infantes generant et morbidi erunt (ἀκρατέα τὰ παιδία τίκτειν καὶ νοσώδη); 48, 9 habebunt si(c) (ἔχουσιν).

Futurum secundarium positum est pro praesenti[240]): 25, 22 . . . ventres siccaverint (ἀποξηραίνονται); 31,13 si quis voluerit (βούλεται); 17, 24 si volueris (βούλει); 21, 6 maius fuerit factum (μεῖζον γίγνεται); 15, 33 sudaverint (ἱδροῖ).

Praesens pro futuro perraro invenitur: 5, 15 hii sunt (ταῦτα ἔσται). Perfectum pro praesenti: 15, 32 quod apparuit (τὸ προφαινόμενον); 29, 5 Asiam multum differre dixi Europae (φημί); 21, 17

234) Wölfflin ALL X p. 1 sqq; Löfstedt, Beitr. p. 75 sq; 85 sq.
235) Bonnet p. 632; ALL IV. p. 46; ThLL IV, 544, 6 sqq.
236) Pirson p. 394; ALL III, 442; ThLL III, 1035, 1.
237) Pirson p. 394; ThLL IV, 928, 15 sqq.
238) De hoc usu cfr. Müller-Marquardt p. 129.
239) Werner p. 86; K. Foth, Die Verschiebung der latein. Tempora in den roman. Sprachen, Roman. Studien II 1877 p. 243 sqq.
240) Qua ratione futurum in dialecto Romanensi formatum sit, cfr. Meyer-Lübke Roman. Gram. III p. 140.

dixi melius esse (φημί); 5, 27 inruisse (ἐπιπίπτειν); 41, 10 meatum conclusus est (ξυγκλείεται); 21,22 extensus est (ἅπτεται).

Positio perfecti pro praesenti ad linguas Romanenses summi momenti est, quae passivum syntheticum circumlocutione analytica cum verbo auxiliari reddunt (cfr. francogall. je suis porté; Löfstedt peregr. p. 306.

Praesens pro perfecto legitur: 29, 17 inuruntur (ἐκκέκαυται); 21, 2 infervescit (ἐφλήγμηνεν); 39, 2 non or(di)nantur (ἐστεφάνωνται).

Futurum exactum munere simplicis praeteriti temporis fungitur hisce locis praeter multos alios: 17, 5 sparsa fuerit (ἁρπασθῇ); 17, 10 dispersum fuerit (διεσκεδασμένον ᾖ); 39, 24 cum . . . usti fuerint (καυθῶσιν).

Coniunctivus modus praesentis pro coniunctivo imperfecti legitur: 31, 32 conservata est, ita ut (vita ut P) . . . cogantur (ὥστε ἀναγκάζειν); 17, 4 conmixta ita ut . . . possit.

Coniunctivus imperfecti pro coniunctivo praesentis: 39, 21 (invenies) . . . de Scytharum (Sitarum P) plerumque omnes ustos humeros (-ores P) et brachia . . . propter aliud nihil nisi humidae essent naturae . . . (δι' ἄλλ' οὐδὲν ἢ διὰ τὴν ὑγρότητα τῆς φύσηος . . .).

Hoc loco commemoranda est circumlocutio perfecti per "habere" verbum[241]), id quod in lingua vulgari et temporibus inferioribus valde usitatum est et in linguarum Romanensium usum receptum est, sed nusquam in nostro libello is usus occurrit nisi loco 35, 22: impositum habetur (ἐπικέεται).

De participio.

Participium cum verbo auxiliari copulatum iam in vetere lingua vulgari reperimus, ut aliquid durativi exprimat. At haec dicendi consuetudo exolevit, potius in labentium aetatum sermone participium cum "esse" copulatum ubique pro verbo finito exsistit. Postremum factum est, ut verbum auxiliare omitteretur[242]). Aliquot exempla citentur: 11, 20 quasi que non sunt fluentes; 29, 3 nihil similantes sibi (sive P) (μηδὲν ἔοικεν . . .); 15, 30 quando . . homo in sole ambulans vel sedens (ὅταν ἄνθρωπος ἐν ἡλίῳ βαδίζῃ ἢ καθίζῃ); 19, 16 conmixtae (-P; -e A) eadem inter necessitatem altercantes (ξυμμισγόμενα δὲ ταῦτα . . . στασιάζει). Quid sit causae, quare Brinkmannus hoc in utroque codice traditum participium emendaverit, nescio; legit enim: conmixta eadem inter se necessitas est altercantur. Alia exempla profero: 35, 24 mulieres equitantes sagita(n)t (αἱ γυναῖκες ἱππάζονταί τε καὶ τοξεύουσι); 11, 24 ut (et P) fleumatica sit (sc. aqua) et raucos constituens bibentes eam (-s P) (ὥστε φλεγματωδέστατα εἶναι καὶ βραγχωδέστατα τοῖσι δὲ πίνουσι).

241) Bonnet p. 689 sqq; Thielmann, habere mit dem Partizip. Perfekt Passiv ALL II p. 372 sqq; 509 sqq.

242) Löfstedt peregr. p. 158 sqq; p. 249.

Participium quoque pro infinitivo positum est[243]): 19, 15 alia autem de calidis fluens (τὰ δὲ ἀπὸ θερμῶν ῥέειν); 23, 12 non enim valent verno tali constituto (-a P) non inrigante(s) (inrigata esse A) corpora et carnes (οὐ γὰρ οἷόν τε τοῦ ἦρος τοιουτέου ὄντος μὴ οὐ φλυδᾶν τὸ σῶμα καὶ τὴν σάρκα). Fortasse participium aliquot locis nostri libelli non declinatur, id quod linguis Romanensibus conservatur[244]). 37, 26 (sub) ... montibus praecellentes. Manifestiora sunt haec exempla: 43, 1 cum . . . non valuerint uti illas nihil considerans (οὐκ ἐπιθυμεῦνται); 37, 30 flans flatos frigidos (= nominat.) (πνέουσι); 17, 15 concurrunt et alibi accidentes repente contraveniens (conveniens P) flatus contrarius et aliae nubes (ἀντικόψῃ). In lingua vulgari evenit, ut participium coniunctum ponatur, ubi ablativum absolutum desideres (cfr. Pfister, Mus. Rhen. 67 p. 206 sq). Cuius rei testimonium sit hoc exemplum: 23, 10 non purgantes ventres (-em P; purgatis ventribus A) (τῶν κοιλιῶν μὴ ξυνεστηκουσῶν). Vice versa ablativum absolutum pro participio coniuncto positum legimus loco 7, 9: catarro supervenientem a cerebro (-pro P) pleureticos facit homines (κατάρροι ἐπιγενόμενοι ἐκ τοῦ ἐγκεφάλου . . ποιέουσι . .).

De infinitivo.

Infinitivum pro verbo finito in "de aëre" frequentissime legimus, ubi in textu Graeco plerumque verbum finitum adhibitum est. Quae consuetudo cottidiani sermonis propria est: 11, 31 cognitum esse (ἔστι); 13, 7 inflationes nasci (ἐγγίγνεται); 19, 21 morbos fieri (γίνεται); 29, 11 crementum autem et (om. codd.) conpetens praebere (παρέχει); 19, 16 obtinere (κρατέει). Aliquot aliae usurpandi infinitivi rationes commemorentur. Vox "metus" cum accusativo cum infinitivo copulata est: 23, 17 metus (metu P) mortes (-is P) advenire pueris (κίνδυνος θανάτους τε γενέσθαι τοῖς παιδίοισι); 25, 19 fagedenas (fagi- A) metus innasci (φαγεδαίνας κίνδυνος ἐγγίγνεσθαι). Infinitivum finalem intellegam hoc loco 43, 15: pauper vero minime quod non habeat efficere (τοὺς δὲ πένητας ἧσσον διὰ τὸ μὴ ἔχειν). Vocabulum "efficere" idem atque "facere" significat[245]).

De modo in enuntiationibus consecutivis usurpato.

Ex medio saeculo secundo p. Chr. n. in inscriptionibus indicativum in enuntiationibus consecutivis legimus, praecipue apud posterioris Latinitatis scriptores[246]), cuius rei duo exempla in nostro libello exstant: 23, 25 (ut) aut statim deficiunt (deff- A) aut (ὥστε ἢ αὐτίκα ἀπόλλυσθαι ἢ . ..); 37, 2 ut . . . in dextrum autem

243) Bellanger p. 108; Werner p. 90.
244) cfr. ALL IV p. 276.
245) Bonnet p. 229; Werner p. 126.
246) Löfstedt peregr. p. 254 sq.

humerum et brachium omnem (ob P) virtutem et multitudinem trahit (-et P) (ὥστε . . ἐς δὲ τὸν δεξιὸν ὦμον καὶ βραχίονα πᾶσαν τὴν ἰσχὺν καὶ τὸ πλῆθος ἐκδιδόναι). Insuper post "ut consecutivum" infinitivum adhibitum reperimus: 25, 12 ita ut . . . hos morbos inruere; 25, 7 ita ut repente intereant, alios vero paraflecticos (palecticos A) fieri (ὥστε . . ἀπόλλυσθαι . . τοὺς δὲ . . γίνεσθαι); 43, 16 itaque ut (et P) (= ita ut) . . . eos qui (que P) . . . sustinere (ὥστε . . . τούς . . . φέρειν).

De coniunctionibus "quod, quia, quoniam".

Post verba sentiendi et dicendi coniunctiones "quod", "quia", "quoniam" adhibitas invenimus, id quod in posteriore Latinitate potissimum apud scriptores ecclesiasticos occurrit[247]). Ex nostro libello affero hosce locos: 5, 12 scit quia . . . convenit; 21, 12 exemplum quod sic (si A) se habea[n]t; 19, 21 quia non omnibus, deinceps dicam; 19, 2 hoc exemplum (-ploA) quoniam (om. P) exterminatur (τεκμήριον ὅτι). Enuntiationes causales coniunctionibus "quod", "quia", "quoniam" institutae sunt, qua in re coniunctio "quoniam" multo crebrius coniunctionibus "quia" et "quod" adhibetur. Quae coniunctiones promiscue usurpantur. Coniunctio "quod" aliquotiens vocabulis "propter" et "eo" corroboratur[248]): 21, 23 non patet, eo quod canalis (-es P) urinae latus sit; 11, 6 propter quod sine colorie videntur esse; 33, 17 propter quod non maturantur; 11, 27 propter quod et macilenti fiunt.

p. 43, 8 quid (ἐπεί) retinere velim contra Brinkmannum, qui "quia" proponit. Nam puto pronomen "quid" pro "quod" in vi causali positum esse. Neque mirum, quod in posteriore sermone "quid" interrogans et "quod" relativum saepe confusa sunt (cfr. Löfstedt Beiträge p. 56; Pfister Mus. Rhen. 67 p. 203 sq). Itaque fieri potest, ut hoc loco interrogans "quid" atque causale "quod" permixta sint.

Postremum locus 9, 25 quia (ᾗπερ) mihi tractandus est. Quo loco de scriptione inversa agi sentio, quod coniunctiones "qua" et "quia" in unum confluxerunt. (Hofmann p. 768[2]). In posteriore Latinitate aliquot exempla positionis "qua" pro "quia" afferri possunt, rem autem inversam nusquam alibi nisi hoc loco nostrae transversionis invenire potui.

De indicativo in enuntiatis interrogativis indirectis usurpato.

Indicativus in enuntiato interrogativo indirecto iam apud Plautum occurrit, etiam scriptores bonae Latinitatis eum non prorsus excludunt (Baehrens, Philolog. Wochenschrift 1923

---

247) Löfstedt peregr. p. 116; G Mayen, de particulis "quod, quia, quoniam, quomodo, ut" pro A. c. J. positis. Kiliae 1889.
248) Werner p. 97; Löfstedt Beiträge p. 30.

p. 222 sqq). Sed in lingua vulgari indicativus in crebro usu erat et postea in linguarum Romanensium usum receptus est[249]). Noster interpres modo coniunctivum modo indicativum posuit: 3, 20 utrum potatores (pu - P) sunt aut . . . ; 5, 13 quomodo autem oportet singula horum considerari (-re A) atque probari (-re A), ego (ergo A) plenissime dicam; 3, 16 utrum padulustribus (palustribus A) utuntur (utantur A); 29, 4 dicam quemadmodum (que ad - A) mihi videtur haberi; 3, 19 utrum. . . constituta est (constitutae sint A); 41, 22 haec causa, quemadmodum mihi videtur nasci dicam; 29, 2 (volo dicere) quare differunt (-ant A); 11, 15 de aquis autem volo disputare quae sunt morbida . . . et quae . . . videntur.

De coniunctivo in enuntiationibus secundariis.

Coniunctivus in nostro libello in universum usum adhibendi retinuit. Nihilominus sic propagavit, ut est mos apud posteriorum temporum scriptores. Quod ex his exemplis cognoscatur; 7, 34 nisi forte aliqui . . . . morbus venia(t) (χωρὶς ἤν . . . κατάσχῃ). Coniunctivus post locutionem "nisi forte" in posteriore demum Latinitate reperitur. 43, 15 pauper vero minime quod non habeat (διὰ τὸ μὴ ἔχειν); 23, 19 eos autem qui evaserint in quartanas consummare (τούς τε περιγενομένους . .); 31, 24 eos enim qui longiora capita habuerint (τοὺς γὰρ μακροτάτην ἔχοντας τὴν κεφαλήν). Exstetne coniunctivus perfecti an futurum exactum, non decerni potest.

Huc spectant etiam enuntiata temporalia et condicionalia iterativa. In illis coniunctio "cum" saepissime "quando" summovetur[250]): 7, 9 quando ultra quinquaginta annos transierint (ὁκόταν πεντήκοντα ἔτεα ὑπερβάλλωσι); 7, 11 quando repente solem passi fuerint aut perfrixerint; 15, 35 quando autem in umbra perrexerit . .; 17, 10 quando autem collectum fuerit (ὁκόταν . . ἀθροισθῇ). In his autem locis indicativum observamus: 21, 8 quando urinam facit (ὁκόταν . . . οὐρέῃ); 17, 4 cum sparsa fuerit et elevata circumfertur et commiscetur in aërem; 37, 27 quando . . . venit.

Item in enuntiatis condicionalibus ad actionem iteratam exprimendam aut coniunctivus aut futurum exactum positum est: 31, 17 si enim differentes fuerint (ἤν . . . ἐῶσι): 35, 28 nisi necessitas obvenerit . . . militiae . . . ; 41, 30 si quis secuerit; 25, 20 si vulnus innatus sederit (sid- P; in alto fuerit A) (ἢν ἕλκος ἐγγένηται); 23, 3 si . . . fuerint . . . et aquae sint (ἤν . . . γίνηται . . τε γένηται). Ut supra dixi, fieri non potest, ut iudicium faciam,

---

249) Bonnet p. 675 sqq; Werner p. 94; Meyer-Lübke Roman. Gram. III p. 709.

250) Meyer-Lübke Roman. Gram. III. p. 643 (cfr. francogall. quand; ital. quando).

quid ad coniunctivum perfecti, quid ad futurum exactum referendum sit. Qua in re viro doctissimo Blase[251]) assentior, qui quaestionibus subtilissimis exponit posteriorem Latinitatem has formas neque perfecti coniunctivum neque futurum exactum intellexisse, sed, ut lingua Francogallica, condicionalem, qui neque temporalem neque modalem vim habet. Ceterum enuntiatum condicionale cum futuro exacto copulatum ad aliquot linguas Romanenses momenti est[252]).

Etiam alibi videmus summam varietatem in enuntiatis condicionalibus regnare, quod et tempus et modum attinet: 39, 17 (ni) si alicuius necessitatis (necessitas P) violentiae (volentiae P) venia[n]t (ἣν μή . . . τύχῃς); 35, 14 si quis (-d P) natura fuerit fortis . . . (εἴ τις φύσει πέφυκεν).

Potentialis Graecus in "de aëre" futuro plerumque redditur. Aliquot exempla id illustrent: 47, 4 hii quidem magni erunt (ἂν εἴησαν); 47, 11 hii quidem salubriores erunt (ἄν . . εἴησαν); 3, 24 non eum latebit (-vit P) (ἂν λανθάνοι).

Praeterea considerandum est, quomodo potentiale enuntiatum condicionale in Latinum conversum sit[253]): 3, 22 si . . . sciat (scitat P), non eum latebit (-vit P); 5, 11 si (sic P) autem puta(t) quis . . . si ab hac intentione recesserit, scit (εἰ δοκέοι . . . εἰ μετασταίη . . . μάθοι ἄν).

De pronominibus.

Nusquam manifestius est quam in pronominum finibus sensum linguae dilapsum esse, quem statum in nostro libello observare possumus. Nam pronomina demonstrativa sine discrimine commutantur, alia pro aliis ponuntur, ut etiam alibi in sermone vulgari[254]).

is ante pronomen relativum "hic" fit, quod demonstrativam notionem perdidit[255]). Etiam verisimile est consonam "h" falso propositam esse. is = talis: 41, 21 unaquaque habet natura(m) eorum (τῶν τοιουτέων). Bis pronomen "is" munere articuli fungitur: 3, 12 id ipsum (τὠυτό); 19, 17 id ipsum (τὠυτό)[256]). Etiam hodierna lingua Italiana hanc formam continuat (desso)[257]).

Cum frequentissime in sermone cottidiano subiectum forma pronominis "is" repetatur[258]), mihi retinendum esse puto hunc

251) ALL X p. 335 et "de modorum temporumque in enuntiatis condicionalibus permutatione" diss. Straßburg 1885.
252) Meyer-Lübke Roman. Gram. III p. 611; Zauner, Altspan. Elementarbuch § 177.
253) Potentiale und irreale Bedingungssäte im Vulgärlatein und Altfr. L. Jordan, Zeitschrift f. roman. Philologie 44 p. 322 sqq.
254) Müller-Larquardt p. 207 sqq; Meyer-Lübke Roman. Gram. III p. 92 sq.
255) p. 29; H. Ziegel, de is et hic pronominibus quatenus confusa sint apud antiquos, Marpurgi 1897.
256) Rönsch Itala p. 424; Salonius p. 236; Grandgent p. 35.
257) Meyer-Lübke REW 4256.
258) Ahlquist p. 114; Niedermann Gnomon IV p. 512.

locum: 13, 3 haec vero aegritudines prolatae, ei . . . in hydropes (-is P) constituunt (ταῦτα δὲ τὰ νοσεύματα μηκυνθεῦντα, . . . ἐς ὕδρωπας καθίστησι). Quae est in pronominibus generis perturbatio, formam "ei" pro "eae" positam esse non miramur.

"is" ante pronomen relativum aliquotiens omittitur: 33, 21 neque enim colorem vero pallidum habent veluti qui (= ei qui) . . ; 45, 12 propterea sunt pugnatores in Europa habitant (= ei qui in E . . .)[259]).

h i c = i s (Hofmann p. 475; H. Ziegel op. cit.): 9, 31 his (αὐταίησιν); 13, 17 duras enim has esse necesse est.

Etiam pro articulo positum est[260]): 5, 12 ab hac intentione (τῆς γνώμης); 15, 23 hoc idem (τὸ τοιοῦτο); 9, 28 in (om. P) his civitatibus (ἐν ταῖς πόλεσι); hic = idem: 21, 1 hoc (τὠυτό). hic = talis: 43, 20 hic (= hoc) morbum (τοιαύτη). hic = ipse: 41, 10 haec (αὐταί); 15, 25; ex his (αὐτέων).

Pronomen "hic" habet similem vim atque pronomen personale Francogallicum personae tertiae (Werner p. 119): 9, 1 mulieribus vero haec primo steriles multae fiunt (τῆσι δὲ γυναιξὶ πρῶτον μὲν στεριφναὶ πολλαὶ γίγνονται); 13, 21 hii ergo putantur (οἴονται).

i s t e = h i c[261]) (francogall. cet <ecce hic): 11, 31 istum . . . morbum (τοῦτο); 7, 6 morbi[s] isti (ταύτας); 29, 27 regiones istos (estus P) (ταύτην). iste = talis: 13, 11 istae naturae (τοιαύτας). Quod pronomen concordat cum linguarum Romanensium articulo (Hofmann p. 482): 19, 21 morbos istos (τὰ νοσεύματα); 41, 17 causam istam (τὴν αἰτίην).

i l l e pronomen[262]) pro portione in nostro libello raro invenitur. ille = is: 7, 11 illis (αὐτέοισιν); 9, 5 illis (deest in Gr.); 11, 11 illis (αὐταίησιν); 31, 20 de illis (περὶ αὐτῶν).

"ille" abundanter positum est hoc loco: 37,17 illis ipsis pecoribus (ὠυτέοισι τοῖς κτήνεσιν).

Etiam pronomen " i p s e " interdum vim propriam omisit. Prae aliis textibus vulgaribus usus in nostro libello rarus est: ipse = idem[263]): 3, 12 id ipsum; 19, 17 id ipsum (τὠυτό). ipse = is: 35, 11 ab ipsis (αὐτέων); 41, 28 quidam ipsorum (οἱ μέν τινες). "ipse" locum pronominis personalis occupat: 17, 4 ita ut ipsa corrumpi facile possit (ὥστε σήπεσθαι τάχιστα).

Non minores mutationes etiam pronomen " i d e m " perpessum est. idem = is[264]): 7, 15 idem (= isdem) (αὐτέησι); 41, 24 eisdem pedes et vertebra vulnerant; 21, 14 quod pinguius et turbulentius

---

259) Similiter v. Ruckdeschel, Vulgarismen u. Archaismen bei Horaz II p. 60; Korte, Die beziehungslosen Relativsätze im Französ. p. 23 sqq.
260) Salonius p. 235 sqq; Linderbauer p. 203.
261) Löfstedt peregr. p. 123; Salonius p. 123 sqq.
262) G. Wolterstorff, Historia pronominis ille exemplis demonstrata, Marpurgi 1907; idem: Glotta VIII p. 197 sqq.; X p. 62 sqq.
263) Löfstedt peregr. p. 65; Grevander p. 33 sq; Svennung p. 67.
264) Grevander p. 29 sqq; Linderbauer p. 297; Svennung p. 68.

remanet eiusdem (om. P) (αὐτέου). idem = hic (Löfstedt peregr. p. 66): 9, 9 in eadem civitatem (ἐν ταύτῃ τῇ πόλει); 9, 19 in eadem civitatem (ἐν ταύτῃ τῇ πόλει). Hofmannus (p. 479³) nisi Peregrinationem Aetheriae testimonium demutationis "idem" = "hic" non citat. idem = talis: 15, 23 hoc idem (τὸ τοιοῦτο). idem = ipse (Löfstedt peregr. p.65; Hofmann p. 479): 29, 21 eadem (eandem A) terra (αὐτὴ ἡ γῆ); 35, 31 in eodem (ἐπ αὐτῷ τουτέῳ).

Etiam alibi pronominum permutationes legimus: e i u s m o d i = h i c : 41, 18 eiusmodi causae (ταῦτα τὰ πάθεα); 17, 2 eiusmodi (διὰ ταῦτα). h u i u s m o d i = h i c : 19, 5 huiusmodi aquas (ταῦτα τὰ ὕδατα); 27, 26 de huiusmodi (περὶ τουτέων); 33, 27 huiusmodi flatus (τοῦτο τὸ πνεῦμα). t a l i s = h i c (Werner p. 123): 5, 24 morbi . . . tales (τάδε). u n u s pronomen, ut saepe in vulgari sermone et postea in linguis Romenensibus[265]), articulus indefinitus est hoc loco: 9, 16 tamen si ad stadium unum intersit (ἢν καὶ στάδιον τὸ μεταξὺ ᾖ). unus = idem[266]): 17, 11 in unum (ἐς τὸ αὐτό); "de septem" 7, 88 unam stationem (τὴν αὐτήν . .).

P r o n o m e n r e l a t i v u m loco articuli Graeci usurpatum legimus. Qui usus ex bibliorum versionibus et omnino ex libris ecclesiasticis ortus est[267]). Commemoro hos locos: 15, 25 quod facilius et tenuissimum est humoris (τὸ λεπτότατον τῆς ἰκμάδος καὶ κουφότατον); 19, 5 . . . puto noxiores huiusmodi aquas esse quae de (om. P) nivibus (nubibus A) et (e P) glaciebus (τὰ ἀπὸ χιόνος καὶ κρυστάλλου); 45, 15 qui animi (-mo P) subiecti sunt (αἱ γὰρ ψυχαὶ δεδούλωνται); 31, 2 propter (p. quod A) multiformia (multum firmia P) fiunt quae in aliis (τὰ ἐν τοῖς θηρίοις).

Pronomen relativum omissum est his locis: 45, 12 propterea sunt pugnatores in Europa habitant (. . εἰσὶ μαχιμώτεροι οἱ τὴν Εὐρώπην οἰκοῦντες); 7, 31 morbum autem hiera (eiera P) nosemata dicunt (τὰ δὲ ἱερὰ νοσεύματα καλεύμενα); 43, 4 . . . se de[re]liquisse deeo causantur (ἡμαρτηκέναι τῷ θεῷ ὃν ἐπαιτιῶνται). Fortasse pronomen relativum in illius temporis sermone non positum est. Qui usus in vetustioris aetatis linguis Romanensibus invenitur[268]).

a l i q u i s pronomen post auream aetatem fines summovendo "quis" post coniunctiones "si", "nisi", "ne", "num" protulit (Bonnet p. 302 sq; ThLL I, 1613 p. 27 sqq): 39, 17 (ni)si alicuius necessitas . . . venia[n]t (ἢν μή τινος ἀνάγκης . . .); 7, 12 nisi aliquid . . . commune (-es P) . . . obtinea[n]t morbum (τι . . . νόσημα).

---

265) Bonnet p. 258 sq; Bechtel p. 144.
266) cfr. Petronium 71,1 unum lactem biberunt.
267) Rönsch Itala p. 443; Koffmanne, Geschichte des Kirchenlateins I, Breslau 1879 p. 129.
268) L. Tobler, Über Auslassung und Vertretung des Pronomen Relativum, Germania XVII p. 257 sqq; Blatt p. 84 c. 28,9.

Pronomen relativum pro pronomine indefinito saepissime legimus: 3, 26 quali(s) (-es A) quae sit (quales sint A) (τίς); 9, 11 quae . . . iacent (ὁκόσαι); 15, 24 in quibus (ὁκόσοισιν).

Pronomen "quid" propriam vim amisit loco 39, 6 inmutationes enim temporum non sunt magnae neque validae, sed similes et modicum quid inmutant[269]) (αἱ γὰρ μεταβολαὶ τῶν ὡρέων οὐκ εἰσὶ μεγάλαι οὐδὲ ἰσχυραί, ἀλλ' ὅμοιαι καὶ ὀλίγον μεταλλάσσουσαι).

Appositio pronominis "quisquam" ad negationem tam vetustioris quam posterioris Latinitatis est: 3, 24 non eum latebit (-vit P; latebunt A) quicquam (om. A) (οὐκ ἂν αὐτὸν λανθάνοι).

"u t e r q u e" bis in numero plurali ponitur[270]): 27, 20 solestitia (soli- A) utraque (ἡλίου τροπαὶ ἀμφότεραι); 27, 21 aestiva aequinoctia . . . utraque (ἀμφότεραι).

"u l l u s" pronomen pleonastice usurpatum[271]) legimus: 31,22 non est alia gens, quae similiter capita habea[n]t ulla (οὐκ ἔστιν ἄλλο ἔθνος ὁμοίας τὰς κεφαλὰς ἔχον οὐδέν).

a l i u s = a l t e r (Bonnet p. 278; Werner p. 123): 41, 19 alia omnia (τἄλλα πάντα); 31, 8 circa alios homines (κατὰ τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους); 35, 23 gentibus aliis (τῶν ἐθνέων τῶν ἄλλων). Quo loco de scriptione inversa agitur. In linguis Romanensibus forma "alter" (= alius) superstes est (cfr. francogall. autre; ital. altro).

"q u i d a m" pronomen semel locum pronominis personalis tenet, ubi textus Graecus nihil simile exhibet: 43, 2 quidam silentium habent (ἡσυχίην ἔχουσιν).

q u i s q u e = q u i s : 3, 10 . . . in quacumque (quicumque A) venerit (-is P) quisque (om. A). Haec demutatio scriptione inversa orta est[272]).

Maximam varietatem in pronominibus inter se congruentibus exstare videmus: 19, 14 quaedam . . . alia . . . alia (τὰ μέν . . . τὰ δέ . . . τὰ δέ); 27, 24 quidam (quae- P) . . . alii (τὰ μέν . . . τὰ δέ); 19, 18 huic . . . alii (-ae P) (τῷ μέν . . . τῷ δέ); 41, 28 quidam . . . alii (οἱ μέν . . . οἱ δέ); 17, 22 aliquid . . . quod (τὸ μέν . . . τὸ δέ).

Praeterea est notabilis hic locus: 15, 33 sub alia quaecumque (alia aut q- P) (ὑπ' ἄλλού του)[273]).

De pronomine possessivo.

Apud scriptores, qui post aureum litterarum aevum floruerunt, et potissimum in lingua vergentium saeculorum sermo cottidianus

---

269) Loefstedtius (Syntactica I p. 207) testatur locutiones "modicum quid" et "modico quid".
270) cfr. etiam Werner p. 123; apud Plautum, Langen, Beitr. zur Kritik und Erklärung bei Plautus, Leipzig 1880 p. 15 sq.
271) Löfstedt Beiträge p. 112; Hofmann p. 483.
272) quisque = quis cfr. Löfstedt, peregr. p. 272 sq.
273) quicumque = aliquis v. Ahlquist p. 134.

pronomen possessivum, ubi bona Latinitas id omittere consuevit, adhibere amat[274]). Sed in hac re nostra translatio ab aureae Latinitatis sermone in universum non discrepat nisi hoc loco 9, 6 de conamine (comine P) enim suo ruptiones habent (ὑπὸ γὰρ βίης ῥήγματα ἴσχουσι). Frequenter pronomen "ipse" pronomini reflexivo abundanter apponitur: 21, 7 rapit (ad) se ipsum (et a se ipso A) (πρὸς ἑωυτό); 35, 17 ipsi sibi laborant (ἑωυτέοισι ταλαιπωρεῦσιν); 45, 17 pro se ipsis (ὑπὲρ αὐτῶν).

De pronomine reciproco.

Cum sermo integrae Latinitatis inter pronomen reflexivum et reciprocum accurate discernat, pronomen reflexivum in lingua vulgari pro reciproco ponitur[275]), id quod ex his exemplis cognosci potest: 29, 3 nihil similantes sibi (sive P) (ἀλλήλοισι); 39, 15 species autem similes sunt sibi (sive P) (ἀλλήλοισι). His in nostro libello reciprocum "invicem", quod saepissime apud ecclesiasticos increbuit, adhibitum invenimus: 17, 11 invicem (ἀλλήλοισι); 3, 4 deferunt (diff- A) a se invicem. Quo loco locutio "invicem" ad pronomen "se" augendum intellegenda est (ALL VII p. 366; Salonius p. 240).

Posterioribus temporibus huic pronomini praepositio apposita est. Liceat mihi aliquot locorum ex "de septem" mentionem facere: 5,48 in invicem (invicem P) (ἐν ἀλλήλοισι); 18, 14 ad invicem; 18, 11 ad invicem; 45, 23 ad invicem; 53, 11 ad invicem. Ex his locis apparet linguam vulgarem praepositiones cum adiectivis copulare, id quod apud eius aetatis scriptores mos est[276]). (cfr. locum "de aëre" 21, 11 in eodem).

De verbis compositis.

Composita pro simplicibus, quae vocantur, cum in lingua vulgari tum in inferiore Latinitate usurpari inter omnes constat. Temporibus vergentibus notio, quae praepositioni inerat, imminuta est[277]). Quam rem differentia inter Chironem et Vegetium demonstrat (Lommatzsch ALL XII p. 406; 556). Ex nostro libello nominentur: 5, 2 praevideat (pro- A (εἰδώς); 7, 28 innasci (γίγνεσθαι); 9, 5 innascitur (γίνονται); 21, 21 adfricat (-gat P) (τρίβει); 17, 15 accidentes (= accedentes) (χωρέοντα); 27, 12 deducuntur (ἀφικνέονται); 33, 10 coemendis (-um P) (= emendis cfr. Bonnet p. 228); 35, 32 interponunt (τιθέασι); 19, 14 consimilare (-ri A) (ἐοικέναι). Huc pertinent etiam adiectiva et substantiva, quae cum praepositionibus composita sunt: 33, 34 consimiles (παραπλήσιαι). Quae vox in bona Latinitate deest, praecipue autem

274) Hofmann p. 473; Meyer-Lübke Roman. Gram. III p. 86.
275) Salonius p. 241.
276) Löfstedt peregr. p. 269.
277) Löfstedt Studien p. 49 sqq. Niedermann N. J. 29 p. 315 sq.

apud scriptores vulgares legitur. In lingua huius aetatis Italiana conservata est (Wölfflin, ausgew. Schriften p. 158 sq); 33, 9 deambulatio (βαδίσει); 7, 25 disruptiones (ῥηγματίας).

Contra simplicia sensum rarius amiserunt[278]: 15, 33 ducitur (ἐξάγεται); 41, 31 secare (ἐπιτάμνειν); 41, 30 secuerit (ἐπιτάμνῃ); 7, 4 nascuntur (ἐγγίγνονται); 13, 7 nasci (ἐγγίγνεται); 9, 7 nascuntur (ἐγγίγνεται).

De decompositis.

Ut composita pro simplicibus in lingua vulgari ponuntur, ita complura praefixa cumulantur[279]. Quae res decompositio appellatur, quae bis in nostro libello occurrit: 37, 11 haec autem adinventae (τετεχνασμέναι) (cfr. Wölfflin p. 213); 43, 14 adsubsistente patrimonia (ὄντων χρημάτων).

De frequentativis.

Frequentativa, quae vocantur, linguis Romanensibus in deliciis sunt; signum, quod in lingua cottidiana vigebant, quae ibi peculiarem notionem omiserunt[280]. Tria exempla ex nostro libello afferri possunt: 21, 6 volutando (κυλινδεύμενον). Petronius voce "volutare", nusquam "volvere" utitur (cfr. ital. voltare Meyer-Lübke REW 9446). 48, 4 exercitantes; 47, 27 inexercitati (exercit -P) (cfr. ital. esercitare).

De deminutivis.

Deminutiva in lingua vulgari plane attenuata esse, linguis Romanensibus confirmatur (cfr. francogall. oreille < auricula). De hac re pauca tantum in nostro libello leguntur: 35, 30 infantibus . . . parvulis (νηπίοις); 27, 2 tussiculam; 35, 29 mamillam maxillam P)[281] (μαζόν); 35, 31 mamillam (millam P) (μαζόν). Huc nonnulla ex "de septem" addere velim: 74, 16 lenticulae[282]; 53, 39 novellus (Meyer-Lübke REW 5967); 63, 32 ventriculis; 59, 6 plagula.

De significatione aliquot vocum notabili.

f o r t i s adiectivum in notione "stark" posterioribus temporibus usitatissimum est[283]. Quam rem saepe in versionum litteris (ALL VIII p. 255) invenimus. Etiam haec vox in linguarum Romanensium usum recepta est[284]. Hos locos commemoro: 7, 29

278) Löfstedt Studien p. 49; Beiträge p. 82 sqq.
279) Löfstedt peregr. p. 92 sqq; Niedermann N. J. 29 p. 333 sq.
280) Niedermann l. c. p. 333; Meyer-Lübke Roman. Gram. II § 586.
281) Meyer-Lübke REW 5276 francogall. mamelle.
282) Meyer-Lübke REW 4980 ital. lenticchia.
283) Löfstedt peregr. p. 161 sq.
284) Meyer-Lübke REW 3457.

fortes (ἰσχυράς); 7, 18 (homines) fortes (ἐντόνους); 7, 31 fortia (ἰσχυρά); 11, 30 medicaminum fortissimorum (ἰσχυροτέρων); 21, 10 dolorem . . . fortem (ἰσχυρήν); 35, 5 fortiores homines (καρτεροί); 47, 18 fortes (homines) (ἔντονα).

Vox "civitas" tantum in nostro libello, nusquam vocabula "oppidum" vel "urbs" leguntur. Item res in Peregrinatione Aetheriae se habet (Löfstedt p. 174 sq). Etiam in medicorum litteratura haec vox in frequenti usu est (Wölfflin, ausgewählte Schriften p. 205 sq.): 3, 10 in civitate (πόλιν); 3, 24 ad civitatem (πόλιν). Quae res ad linguas Romanenses et linguam Anglosaxonicam summi momenti est (cfr. francogall. cité, ital. città, anglos. city).

Ut linguae Romanenses demonstrant, adiectiva "magnus", "parvus", "pulcher", emortua sunt. Pro adiectivo "magnus" saeculo quinto forma "grandis" exstitit (Löfstedt peregr. p. 73). In nostro libello "magnus" nondum plane adiectivo "grandis" remotum est. Duo exempla afferantur: 11, 24 splenes . . . grandes (μεγάλους); 13, 8 grandia corpora (μεγάλα). "modicus" adiectivum vicem adiectivi "parvus" explet (cfr. Löfstedt p. 71): 7, 24 de modica . . . occasione; 9, 2 menstruis non aptis sed modicis (ὀλίγαι); 37, 28 modico tempore (ὀλίγον χρόνον); 31, 19; 39, 6 modicum (ὀλίγον); 33, 9 modicum (medicamen P). "pulcher" in nostro libello plane deest. Cuius loco semel adiectivum "plenus", alibi "bonus", interpres posuit: 3, 15 plenissime (κάλλιστα); 25, 13 bene (καλῶς); 47, 26 bene (καλῶς); 29, 25 species optimos (καλλίστους); 29, 7 meliora (καλλίονα); 29, 24 optime (κάλλιστα).

saepe adverbium in posteriore sermone vulgari paene ex usu intercidit. Etiam in nostra translatione totum deest. Quod in lingua vulgari adiectivis "subinde" (francogall. souvent) et "frequenter" atque etiam "assidue", "crebro" loco suo motum est (cfr. Löfstedt peregr. p. 359). Nonnulla exempla afferantur: 47, 20 adsiduae (πυκνότατοι); 43, 2 aliquotiens (πλεονάκις); 5, 26 frequenter (πυκνά); 9, 6 frequenter (συχναί); 29, 24 frequenter (πυκνότατα); 11, 21 frequenter (ἀεί).

Quo loco de locutionibus ad adiectiva Theodisca "kurz, lang" pertinentibus admonebo (Wölfflin p. 207 sq.): 7, 7 brevi temporis (ὀλιγοχρόνιοι); 9, 8 pueri quamdiu breves sunt (μικρά); 11, 2 diutissime (ὡς ἐπὶ τὸ πολύ); 13, 3 multi temporis (πολυχρόνιοι); 25, 18 diuturni morbi (πολυχρόνιοι); 27, 7 diuturni (πολυχρόνιοι); 27, 24 morbi prolixi (om. Gr.); 45, 1 diuturnae (πολυχρόνιοι); 7, 1 diurnae (πολυχρονίους)[285].

Nusquam in nostra versione vox "celer" invenitur. Etiam linguae Romanenses demonstrant hanc vocem ex lingua vulgari exolevisse. Nam in iis alia vocabula usurpantur. In nostro libello

285) de hoc vocabulo pro "diuturnae" posito cfr. Ahlquist p. 130.

interpres vocabulum "facilis" pro ea re posuit: 17, 2 facile (τάχιστα); 17, 4 facile (τάχιστα); 25, 18 facile (θᾶσσον); 25, 22 facile (ῥηιδίως).

Vox "malus" quoque iam paulum reiecta esse videtur, id quod ex hisce exemplis cognosci potest: 17, 3 firmissimum odorem (πονηρήν); 13, 9 vilia (πονηρά). 17, 19 malignum odorem (πονηρήν); 17, 21 noxia (πονηρά).

Quod ad locutiones verbi auxiliaris "esse" attinet, eas plenioribus interdum summoveri videmus; nam lingua vulgaris monosyllaba evitare studet, velut 7, 21 contingunt (εἰσί); 7, 22 obveniunt (ἐπιδημεῖ); 13, 14 advenerit (ᾖ); 43, 9 invenitur (εἰσίν). Memoratu digna est forma "constituere" in perfecti passivi participio usurpata (ThLL IV, 523, 45 sqq.): 3, 19 constituta est (constitutae sint A) (εἰσίν); 35, 30 infantibus constitutis adhuc parvulis (παιδίοις ἐοῦσιν ἔτι νηπίοις); 35, 1 magis in eodem semper constituto (μᾶλλον ἤ . . . ὄντα); 41, 28 constituti (ἐόντες); 39, 16 montibus . . . constitutis (τῶν ὠρέων . . ἐουσέων); 47, 1 bene constitutae (εὖ πεφυκότα). Praeterea hi loci insignes sunt: 43, 14 adsubsistente patrimonia (ὄντων χρημάτων); 25, 20 si vulnus innatus sederit (sid- P; in alto fuerit A) (ἤν ἕλκος ἐγγένηται). Verba "sedere" et "esse" in lingua Hispanica mixta apparent (cfr. Löfstedt peregr. p. 146[286]).

Nostrum libellum colorem vulgarem demonstrare etiam ex ea re cognosci potest, quod vocem "edere" numquam invenimus (in Peregrinatione Aetheriae vocem "manducare" tantum legimus): 37, 19 comedunt (ἐσθίουσι) carnes assas . . . et hippacen (inpace P) manducant[287]).

Porro circumlocutio temporis propria linguae vulgaris est: 9, 26 verno tempori (-e P) (ἦρι); "de septem" 27, 39 hiemale tempus.

Ad simplex verbum circumscribendum lingua cottidiana verbum "facere" adhibet: 21, 13 urinam . . . limpida(m) hii faciunt (τὸ . . . οὖρον λαμπρότατον οὐρέουσιν); 21, 8 urinam facit (οὐρέῃ); 29, 22 mitiora facientes (ἡμεροῦντες); 33, 33 commutationes facientes. Comparatio inter Chironem et Vegetium facta hanc proprietatem vulgarem manifesto demonstrat: 63, 26 (Oder) facit extensionem; 66, 4 (Lommatzsch) extensio . . . generatur[288]).

---

286) cfr. etiam de hac re francogall. il était (e)stabat; Glotta III,182.
287) cfr. hispan. comer; francogall. manger.
288) cfr. Grevander p. 78.

Pars quarta.

De vocabulis Graecis et vocibus ad posteriorem Latinitatem vulgarem pertinentibus.

Quibus expositis tamquam in appendice tractabo de vocabulis cum ab interprete a Graeco in Latinum receptis tum de iis, quae sermonis vulgaris vel Latinitatis posterioris propria sunt. Atque primum de vocibus Graecis loquar.

a n a t o l a : 23, 14 anatulae (om. P) (ἐπιτολῇ).

a n a x y r i s : 43, 25 anaxyridas (naxiariadas P)(ἀναξηρίδας).ThLL II p. 22, 71 nisi semel hanc vocem non testatur ex Diosc. 2, 96, ubi nomen herbae exprimitur.

a n t h r o p i n o s : 41, 20 anthropinoteron (antrinoheran P).

a n t i d o t u m : 27, 17 antidotum (φάρμακον).

a s p a l a t r u m : 13, 20 aspalatrum (ἄσφαλτον). Quae forma alioquin in litteris Latinis non invenitur cfr. ThLL II p. 828, 72).

b o r e u s : 23, 21 boraeum (bonium A) (βόρειον): 27, 3 boreum (βόρειον) (quae vox est inferioris temporis cfr. ThLL II 2132, 80 sqq).

b r a n c h o s : 25, 11 per coridia (coriza A) et brancho (brachio P; brancias A) (βράγχῳ); 27, 2 branchos (βράγχους).

c a t a r r h u s : 25, 2 catarros (-us P; catartus A); 7, 9 catarro supervenientem (κατάρροι); 25, 6 catarron P (catharoes A) (κατάρρους). Fortasse forma "catarron" indeclinabilis tradita est (cfr. 7,7 optalimon = ὀφθαλμίαι).

c a u s i s : 27, 18 causin A (catarsin P) adhibere (μήτε καίειν).

c e l e t e s : 19, 9 celetes (celestae P; celites A) (κῆλαι γίνονται).

c e n c h r o : 33, 27 cenchronem (centronem P) (κέγχρωνα).

c e p h a l a r g i a : 27, 1 cephalargiae (celafargiae P; caelafalargicae A) (κεφαλαλγίας).

c h o l a n i u s : 11, 22 cholania (catholania P)(χολώδεας.)

c h o l i c u s : 25, 5 colicis (χολώδεσιν).

c o r y z a : 25, 11 coridia (coriza A) (κορύζα); 27, 2 coridia (coriza A).

c y o n : 23, 15 quinos (om. P) (= κυνός) (ThLL II p. 965, 45).

d y s e n t e r i a : passim (Plin. Cael. Aurel. Vulg. Isid.).

e p i a l u s : 7, 1 epyali (ἠπιάλους).

e p i n y c t i s : 7,2 epinectides (ἐπινυκτίδας) (Plin. 20, 12 et 20, 44).

h a e m o r r h o i s : 7, 2 emorroidas (αἱμορροΐδας)(Cael. Aurel. Amm.).

h e d r a : 7, 2 in edra (ἐν τῇ ἕδρῃ).

h e r n i a : 13, 10 haerneae (κῆλαι) (Cels. Mart. Arnob. CGlL VI p. 518).

h i e r o s : 5, 28 hierason (irason P) (ἱερὴν νοῦσον); 7, 31 hiera (ei era P) (ἱερά).

h i p p a c e : 37, 20 hippacen (inpace P) (Plin.)

h y d r o p s : 9, 7 hydropes (—is P) (ὕδρωπες) (al.).

k a u s o d e s : 13, 22 insuavidiores. Fortasse latet forma vocabuli Graeci (καυσώδεα) male lecti. Nam interpres in exemplari Graeco vocem "ἰσαυσώδεα" invenit (frequentissime in textibus Graecis litterae "IC"

cum "K" confusae sunt), quam verbum ex verbo redditam in comparativo ponebat. Librarii inscii eam immutaverunt. Non huc trahendum est: Gl. L. II 227, 2 ἀνηδόνος = insuabilis.

kedma: 41, 22 kedmata (ke aucato P) (κέδματα); 43, 23 kedmatibus (ea motibus P) (κεδμάτων).

lienteria: 25, 20 lienteriae (λειεντερίαι) (Cels. Th. Prisc. Isid.).

lithiasis: 21, 11 litiasin (lyti — A) habent (τὰ παιδία τὰ λιθιῶντα); 21, 14 litiasis (lyth — A) efficit (λιθιᾷ).

macrocephalus: 31, 21 macrocefalis (μακροκεφάλων); 33,3 de macrocefalis macrocefalos nasci.

maniodes: 13, 5 maniodes (madiones P) morbos (—us P) (μανιώδη νοσεύματα).

melancholia: 27, 8 melancholiae (—ia P) (μελαγχολίαι) (eccles).

metabola: 7,8 metabula (μεταβολῆς).

nephriticus: 19, 8 nefritici (nefre-codd.) (ὑπὸ νεφριτίδων . . . ἁλίσκονται) (Plin. Cael. Aurel.).

nosema: 7, 31 nosemata (νοσεύματα).

nusos: 5, 28 ierason (= ἱερὴν νοῦσον).

oiketis: 41, 13 oiketes (oiketia P) (οἰκέτιδες).

opthalmia: 7, 7 optalmiae (optalimon P) (ὀφθαλμίαι); 7, 28 optalmias; 25, 1 obtalmiae P (opftalmiae A) (passim).

paraplecticus: 25, 7 paraflecticos P (palecticos A) (παραπλήκτους).

peripleumonia: 7, 3 peripleumoniae (περιπνευμονίαι); 25, 25 peripleumonias (pleumonias A).

phagedaena: 25, 19 fagedenas (fagi- A) (φαγεδαίνας).

Phasienus: 33, 19 Fasieni (Fusienim P) (Φασιηνοί).

phlegma: 13, 7 flegma (φλέγμα) album; 25, 3 fleumate (-a P; flegmata A) (φλέγματος).

pleuritis: 7, 3 pleuritides (πλευρίτιδας); 25, 25 pleuritides (Vitr., Cael. Aurel.).

pthinodes: 13, 9 thinodea (φθινώδεα).

pthysis: 9, 5 hptysis (πθίσηες); 27, 3 thisis (ptysis A) (φθίσιας).

spasmus: 5, 27 spasmum (σπασμούς); 9, 7 spasmata (σπάσματα) (Plin. Scrib. Cael. Aurel. Isid.).

(i)sphacelismus: 27, 1 (i)sfacelismos (hisfaciles mox P; hisfacilissimum A) (σφακέλους).

splen: 11, 24 splenes (σπλῆνας) (Vitr., Plin.).

spleneticus: 47, 17 spleneticas (σπλήνεα) (Th. Prisc. Plin. Val. Sex. Placit. aliique).

stypteriodes: 19, 15 stypteriodea (stiptirodae P; stipteriodea A) (στυπτηριώδεα).

thius: 41, 19 thioteron (θειότερον); 41, 19 causae thiae (causati P). Postremum ad aliquot locutiones delegetur, quae nisi in Latinitate vulgaris et posterioris sermonis non inveniuntur.

abortire: 5, 26 abortire (ἐκτιτρώσκεσθαι); 23, 23 avortire (abor- A). (Eccles. et in gloss.; ThLL I, 125, 81 sqq; Meyer-Lübke REW 38).

adfrico: 21, 21 adfricat (-gat P) (τρίβει) (cfr. ThLL I, 1247, 26). Dubitari non potest, quin haec vox sermonis vulgaris sit. Quae tantum in linguarum Romanensium usum recepta est (cfr. francogall. froyer), cum forma "terere" ex usu excidisset. Alio loco legimus: 21, 10 fricat (frecit A; om. P) (cfr. etiam W. Baehrens, Skizze der lat. Volkssprache, Neue Wege zur Antike II p. 63).

aegritudo: 5, 4 aegritudines (νοσήματα); 9, 23 aegritudo (νοῦσος). Quae vox aureo aevo dolorem animae significat, ex Columella demum morbum corporis valet (cfr. Grevander p. 62; Linderbauer p. 166).

a e r a m e n t u m : 13, 19 aeramentum (χαλκός).(Plin. Columell. praecipue in posteriore lingua cfr. ThLL I, 1053, 31 sqq). Formationes eiusmodi in frequenti usu linguarum Romanensium sunt.

a m b u l a t i o : 39, 30 ambulationem (βαδίσει). Quod vocabulum linguae vulgari assignandum est. (ThLL I, 1869, 46). Tempore, quod linguas Romanenses praecedit, et in linguis Romanensibus ipsis vocabulum "ire", quoniam ei parum sonorum inerat, vocabulis "ambulare", "vadere" suppletum est. Cuius rei exemplum in nostro libello exstat loco 15, 30 ambulans (βαδίζῃ) Aliis locis noster interpres verbum "pergere" usurpat, quod creberrime apud ecclesiasticos legitur. In linguas Romanenses nisi vocabula "ambulare" et vadere" non intraverunt (cfr. francogall. je vais; aller.).

a n i m o s i t a s : 33, 30 animositate (ἀθυμίης); 45,19 animositates (εὐψυχίην). Agitur hic de formatione in -tas exeunte, quae aevo labente percrebescit. In primo exemplo interpres "α" privativum Graecum intellexisse non videtur, id quod etiam alibi elucet (cfr. virilitate = ἀνανδρείης) (cfr. de voce "animositas" ThLL II p. 88, 3).

a q u a t u s : 21, 18 aquatissimum (ὑδαρέστατον); 27, 8 aquatius (ὑδαρέστατον) (cfr. ThLL II p. 380, 31 sqq.).

a r g u m e n t u m : 31, 28 argumenta (τεχνήματα) (ThLL II p. 550; Du Cange p. 390 sub voce "argumentum" IV).

a r t i c u l a t u s : 48, 2 articulatos (inart - P) (διηρθρωμένους) (ThLL II p. 690, 72 sqq).

a u t u m n a l i s : 27, 21 aequinoctia . . . autumnales (-lia A) (μεθοπωριναί) (ThLL II, 1602, 25 sqq.).

b i b i t u s : 19, 21 bibitis (videtis P; bibentes A) (πινευμένων). Quae locutio inferioris temporis est (ThLL II, 1959, 53 sqq.).

c a l c u l o s u s : 19, 8 calculosi sunt (λιθιῶσι) (ThLL III, 139, 79 sq.).

c a l o r : 35, 14 boni caloris (col- P) (εὔψυχος); 45, 7 boni calores (blandiores P) (εὐψυχροτέρους).

c a n a l i s : 21, 22 canalis (-es) urinae (οὐρητῆρος); 21, 23 canalis urinae (-es ur- P) (οὐρητῆρες).

c a n i c u l a r i s : 27, 4 circa caniculares (om. P) (ὑπὸ κύνα); 27, 23 (hortus) caniculares (τὰς ἐπιτολὰς τοῦ κυνός) (ThLL III p. 251,36 sqq.). Quae vox est inferioris temporis.

c a r n o s u s : 39, 12 carnosae (σαρκώδεα).

c a u s a : (= morbus): 23, 7 oculorum causa(s) (ὀφθαλμίας); 41, 19 eiusmodi causae thiae (causati P) (ταῦτα τὰ πάθεα); 41, 21 haec causa (τοῦτο τὸ πάθος) (cfr. Grevander p. 62; Linderbauer p. 329; ThLL III, 680, 58 sqq.).

c o n p e t e n s : (subst.): 29, 11 crementum autem et (om. P) conpetens (ἡμερότητα) (v. ThLL III, 2069, 65 sqq.).

c o n c a v i t a s : 19, 22 concavitates (-em P) (κοιλίη).

c o n g e l a t i o : 19, 2 congelatione[s] (πήξηος).

c o n g l u t i n o : 21, 5 conglutinatur (congluttatur P) (συμπήγνυται) (v. ThLL IV, 284, 36 sqq.).

c o n s i m i l i s : (= similis) 33, 34 consimiles (παραπλήσιαι).

c o n s i m i l o : 19, 14 consimilare (-ri A) (ἐοικέναι) (ThLL IV p. 463, 14) Quod vocabulum inferioris temporis est.

c o n s t r i c t u s : 37, 12 constrictae (στενά) (ThLL IV, 546, 6 sqq.).

c o n s u m m a t i o : 25, 21 consummatione[m] (τελευτῶσι). Quae vox praecipue ecclesiasticis in deliciis est..

c o n s u m m a r e : 23, 19 consummare (ἀποτελευτᾶν); 37, 27 consummans (consumans P).

c o r p o r a t u s : 47, 5 corporati (in- P) (σαρκώδεες) (ThLL IV, 997, 52 sqq.) Brinkmannus hanc formam in "corpulenti" sine evidenti causa commutavit.

corpulentus: 47, 26 corpulentes (σαρκώδεες).
corruptio: 7, 21 corruptiones (ῥηγματίαι).
crementum: 29, 11 crementum (αὔξησιν). Quae vox saepe ex Itala tradita est.
deambulatio: 33, 9 deambulatione (βαδίσει) (Ter. et potissimum aevo labente.)
debilis: 5, 25 reumaticas debiles fieri (ῥοώδεας εἶναι).
Vocabulum "debilis" ad explicationem a posteriore librario insertum est (debilis = (ῥευματικός v. Bonnetum p. 285; CGIL VI p. 306).
defensa: 5, 17 defensae (σκέπη) (v. ThLL VII p. 305, 23 sqq.).
desertio: 37, 5 desertio (ἐρημίη) (ThLL V p. 689, 45 sqq.). Quam formam (theodisce „Einöde") uno tantum loco apud Martianum Capellam 6, 693 legimus.
desolo: 35, 13 desolare (dos-P) (ἐρημοῦσθαι) (v. ThLL V p. 734, 23).
disruptio: 7, 25 disruptiones (ῥηγματίας) (Sen. et posteriore aevo ThLL V, 1268, 20 sqq.).
distentio: 7, 25 distentio corporis (ἔντασις) (ThLL V, 1516, 58 sqq.).
eiectio: 33, 35 eiectiones (electiones P) (ἐκπλήξηες).
feriatus: 33, 24 feriati sunt (ἀργότεροι) ThLL VI p. 517, 18 sqq).
fluxus: 7, 1 ventris fluxum (διαρροίας) (ThLL VI p. 984, 83 sqq.).
habeo: (= habito) 35, 23 quod circa paludem habet Maeotim (Meotidem P) (οἰκεῖ) cfr. ThLL VI 3 p. 2401, 6.
hactenus: 31, 5 hactenus (ταύτῃ); "de septem" 30, 35 hactenus (ταύτῃ). Locutio "hactenus" pro "hoc modo" posita nisi apud Pomponium et aliquot iuris consultos non tradita est (v. Hofmann p. 770[1]; Kalb, Roms Juristen p. 63).
ignitus: 35, 31 ignitum (διάπυρον) (frequentissime aevo vergente et in CGIL VI p. 539).
inaquosus: 27, 3 inaquosus (aquosus A) (ἄνυδρον); 21, 18 inaquosis (ἀνυδρίης) (apud eccles; CGIL II, 231, 9).
inarticulatus: 39, 12 inarticulatae (< ἄν > αρθρα Littraeus).
indulco: 17, 8 indulcatur a sole (γλυκαίνεται) (eccles.; CGIL VI, 2 p. 566).
inflatio: 13, 6 inflationes (οἰδήματα).
macilentus: 11, 27 macilentos effici[t] (κατασχάνθαι) (Plaut. Pallad. Pelag. Vulgata).
magnifico: 43, 12 magnificati (-ficentiam P) (θαυμαζόμενοι) (Plaut. Ter. utique apud eccles. v. Rönsch p. 177).
menstrua: (neutr. plur.) 9, 2 menstruis (καθάρσηες).
metus: (= periculum) 23, 17 metu(s); 25, 19 metus (κίνδυνος).
minctio: 13, 23 ad minctionem (mixtionem P) (διουρέεται).
mixtio: 41, 2 voluntas ... mixtionis (-es P) (μίξιος).
moderamen: 29, 28 moderamen temporum (μετριότητα).
mortifico: 13, 1 mortificantes (θανατωδέστατοι) (eccles.). Ex de "septem" commemoro hunc locum: 57, 8 mortificatoriae fiunt aegritudines.
multiformis: 31, 1 multiformia (multum firmia P) (πολύμορφα).
multigenus: 37, 24 multigenus (πολύγονον); 41, 1multigenam (πολύγονον).
nativitas: 45, 2 nativitatem (γένεσιν) (CGIL VI p. 727; eccles. iuriscons. Meyer-Lübke REW 5848 b).
obtineo: 7, 8 nisi optinuerit morbus (-biP) plerumque communis (ἢν μήτε κατάσχῃ νόσημα πάγκοινον); 7, 13 nisi aliquid plerumque commune[s] obtinea[n]t morbum (. . πάγκοινον κατάσχῃ νόσημα); 33, 17 aer . . . multus optinet regionem (κατέχει); 29, 12 cum nihil obtinueri[n]t (. , μηδὲν ᾖ ἐπικρατοῦν).
occultus: 47, 26 occultis articulis (-es et -es P) (ἄναρθροι). Quo loco "α" privativum Graecum in lingua vulgari adiectivis et postremum adverbiis reddi videmus, id quod linguis Romanensibus confirmatur

(cfr. in lingua Francogallica mauvais < malefatus; mécontent < minus contentus). Quocum compares velim locum 11, 21 mali coloris (-es P) (ἄχροα).

officium: 21, 9 meatus prohibet (per-P) officium (κωλύει οὐρέειν); "de septem". 62, 9 ex officio ventris; 66, 2 per ventris officia.

operativus: 48, 3 operati(v)um (ἐργατικόν). Moerlandus (p. 123 sq.) praeter locos apud Oribasium allatos locum Augustini commemorat (Quaest. 63; v. Cooper p. 106: Word formation in the Roman sermo plebeius New-York 1895). De suffixo in -ivus desinente cfr. Niedermannum N. J. 29 p. 329.

paludester: vocabulum "paludester" in nostro libello aliquotiens invenitur, quae forma, si vocabularia inspexeris, nisi ex duobus testimoniis nota non est (Cassiod. 2, 32 et ex vetustiore Oribasii versione). Exempla ex recentiore versione prolata Moerlandus promit (p. 128). Ex nostro libello quaedam citentur: 15,23 aquis paludestribus (λιμναίων); 25, 16 paludestribus (ἑλείοισι); 31, 15 paludestribus (ἑλώδεσιν); 33, 6 paludestribus (ἑλώδης); 33, 8 (in) paludestribus (ἐν τοῖς ἕλοισιν); 37, 6 desertio quae dicitur campestria et paludestria (λειμακώδης). Quae formatio plebis notatione, quam vocant, orta est, quae ad stirpem "palud-" relata est. Huc accedit, ut adiectivum "campester", ut in novissimo loco, ad hanc formationem valeat.

petrosus: 3, 17 petrosis (πετρωδέων); 13, 17 fontes petroses (-is P) (πηγαὶ ἐκ πετρέων).

placiditas: 45, 9 placiditates (plicitates P) (ῥαθυμίαι); 45, 10 placiditate (ῥαθυμίης).

porus: 21, 20 ureticus porus (urit-prorsus P) (οὐρητήρ) (v. CGLL VII p. 110. Cael. Aurel.).

potator: 3, 20 potatores (put- P) (φιλοπόται) (Plaut. Vopisc. Firm. Tert. Hier. Vulgata v. Rönsch p. 58).

potatrix: 7, 27 potatrices (sc. naturas) (φιλοπότας) (hoc tantum loco).

praedictus: 43, 24 propter praedictas rationes (διὰ τὰς προφάσιες); "de septem." 21, 14 praedictorum (prdict- A) (προειρημένων) (CGIL VII p. 116).

pransor: 3, 21 pransores (ἀριστηταί) (Plaut. Macrob. Augustin. CGIL III, 413, 49).

profluvium: 7, 29 profluvium sanguinis (αἱμορροίας).

provincia: 3, 6 provinciis (χώρῃ).

purgatio: 13, 9 purgationes (κάθαρσις); 41, 8 menstrua purgatio.

quadrirotus: 37, 10 vehicula . . . quadrirota (e-P) (τετράκυκλοι). Hanc vocem nusquam in litteris Latinis invenire potui, praeterquam quod semel forma "quadrirotis" apud anonymum "de rebus bellicis" tradita est, qui liber saeculo quinto vel sexto ortus est (cfr. de hac re Rich. Neher, Der Anonymus de rebus bellicis. Diss. Tübingen 1911 p. 55).

querellor: 43, 15 querellantes (ἐπιμεμφομένους). Quae vox est inferioris temporis. (Arnob. Serv. gloss.).

quoadusque: 35, 25 quoadusque . . . virgines sunt (ἕως). Quae coniunctio ex Itala demum occurrit (Hofmann p. 769[3]). Aliquotiens legimus formam "quosque": 17, 9; 37, 17; 35, 26; 39, 28 plerumque cum coniunctivo copulatam.

quatenus: 35, 7 quatenus non videantur (ὅκως).

raucitudo: 17, 9 raucitudinem (raucet-A) (βράγχος). Quod vocabulum non invenitur nisi semel in glossis (CGIL III p. 604, 46 raucitudo vocis; Du Cange vol. Vp. 603).

regio: 29, 7 regio (χώρα); 29, 14 regiones (χώρης) (alias) (v. CGIL VII p. 193).

regionalis: 3, 7 regionalis (flatus) (ἐπιχώρια): 3, 25 regionales (ἐπιχώρια); 7, 33 regionales aegritudines (alias). Haec forma ex Augustino tantum

usque ad hoc tempus tradita est (cfr. in lingua Italiana "regionale", Francogall. régional).

ruptio: 9, 6 ruptiones (ῥήγματα) Marcell. Sex. Placid. Ulp.).

sagitto: 35, 24 sagitta(n)t (τοξεύουσι) (Curt. Justin. CGIL VII p. 224).

salvo: 15, 34 salvatur (σώζεται) (CGIL VII p. 228; ALL VIII p. 592 sq; Meyer-Lübke REW 7557 ital. salvare; francogall. sauver).

sedimen: 19,20 sedimen et arenam (sediminari nam P; deminuta renam A) (ἰλῦν); "de septem." 13, 13 cibis sediminis exitus (Isid. Cael. Aurel. Meyer-Lübke REW 7784).

similo: 9, 26 simila[n]t ἔοικε): 9, 28 similat (ἔοικε); 37, 3 sibi ipsi similant (ἐοίκασι). Quae vox inferioris Latinitatis propria est. Grammaticus Diomedes eam repudiat (Gr. L. I p. 365, 20 "similat" non dicimus, sed similis est"; cf. Niederm. N. J. 29 p. 339; ALL XI p. 355; V p. 469. Quae in linguarum Romanensium usum recepta est (v. Meyer-Lübke REW 7925 francogall. sembler; portug. semelhar; hispan. semejar).

soliditas: 39, 28 soliditatem (ἕδρην).

speciosus: 43, 24 speciosiores (speciores P) (εὐνουχοειδέστατοι). Haud scio an interpres "εὐειδέστατοι" legerit.

spero: 43, 3 sperantes (νομίσαντες) (spero = puto v. ALL XIV p. 257 sqq et 266).

spontaneus: 47, 19 spontaneae (αὐθάδεις); "de septem." 36, 21 spontaneae; 52, 37 spontanea; 78, 127 spontaneus (CGIL VII p. 288).

stabilis: 33, 14 ipse . . . stabilior omnium fluminum (στασιμώτατος); 47, 12 aqua(s) . . . stabiles (στάσιμα).

stans: 33, 12 aquae . . . stantes (στάσιμα).

strambus: 33, 1 strambis (διεστραμμένων). Quae forma pro "strabis" posita est (strambus = strabus ALL I p. 262, 442, 593; V p. 480; Meyer-Lübke REW 8281 ital. strambo).

substantia: 43, 16 substantia(m) (χρήματα).

superfluus: 5, 11 superflua (μετεωρόλογα). Quod vocabulum post auream Latinitatem et praecipue aevis labentibus viget.

supradictus: 11, 7 morborum . . . supradictorum (προειρημένων); "de septem". 45, 18 supradictis temporibus.

tabefactio: 25, 6 tabefactionem (ἔκτηξιν) (ἅπαξ εἰρημένον).

tempestivus (= tempestuosus): 23,21 vernum . . . tempestivum (χειμέριον) (v. ALL XI p. 76).

timor: 35, 18 timoris (-es P) (δειλίης); 45, 10 timor (δειλίη).

transmigratio: 39, 30 transmigrationes (μεταναστάσηας) (Prud. Oros. Vulg.).

ureticus: 21, 19 ureticus (uri-P) . . . porrus (prorsus P) (οὐρητήρ) (Cael. Aurel. Th. Prisc.).

vegetor: 29, 23 vegetari (vegit-A) (εὐθύνειν); "de septem." 7, 7 vegetantem (v. CGIL III p. 279, 42 φυτεύειν vegetare).

vertebrum: 41, 24 vertebra (τὰ ἰσχία) (Cael. Aurel. Plin. Val. CGIL VII p. 406).

videor: 11, 6 (vide[n]tur (εἰκός); 29, 26 vide[n]tur (εἰκός); 27, 21 aequinoctia quae videntur (νομιζόμενοι).

viritus: 29, 28 viritum (vericum A) (τὸ ἀνδρεῖον) (Itala Sirach 28, 19; Aug. spec. 23 p. 143, 1 mulieres viritas; Novat. trin. 2 omni virtute viritior; Op. impert. in Matth. 44 p. 880 virita mulier.

virilitas: 33, 30 virilitatem (ἀνανδρείης); 45, 26 ad virilitatem (ἀνδρεῖον).

virtus: 3, 8 virtutes (δυνάμηας); 3, 9 virtutes (-is A) (δύναμις); 43, 7 virtutem (ἰσχῦν); 37, 2 virtutem (ἰσχῦν). (virtus robur: Löfstedt peregr. p. 112 sq.; Glotta VI p. 363; ALL VI p. 144; Meyer-Lübke REW 9371).

voluntas: (= voluptas): 31, 1 voluntatem (voluptatem A) (ἡδονήν); 41, 2 voluntas (ἐπιθυμίη). (v. CIL V, 4488 voluptati = voluntati; Sommer, Lat. Laut- u. Formenlehre p. 237).

vorax: 3, 21 voraces (ἐδωδοί); 11, 28 voraces (ἐδωδοί). Quae vox posita est pro "edax".

vulnus: 25, 20 vulnus (ἕλκος); 13, 11 vulnera (ἕλκεα) cfr. etiam locum 7, 32 vulnerati fleumatici fieri = τά τε ἕλκεα φλεγματώδεα ἐγγίγνεσθαι (vulnus = ulcus v. Medert p. 61 et 72).

zelus: 33, 25 ad zelum (πνῖγος) (zelus = fervor v. CGIL VII p. 432).

Vita.

Natus sum Josephus Wenz a. d. IV. id. Jan. a. 1909 in Nassovorum oppidulo, cui nomen est Camberg, patre Jacobo, matre Lina e gente Kolb, quos adhuc superstites esse gaudeo, civis Borussus, fidei addictus catholicae.

Postquam per quattuor annos in schola publica Cambergensi primis litterarum elementis sum imbutus, parentes gymnasio Cambergensi me mandaverunt. Deinde per quinque annos gymnasium Limburgense frequentavi. Maturitatis testimonium adeptus vere a. 1929 Francofurtum ad Moenum profectus sum, ubi in universitate per bis senos menses operam navavi studiis philologicis et Francogallicis. Vere sequentis anni Monachum adii, ubi per bis senos menses versatus sum. Vere a 1931 Bonnae per sex menses civis academicus fui. Autumno eiusdem anni me contuli ad universitatem Marpurgensem, cui ex hoc tempore usque ad aestatem a. 1934 civis adscriptus eram.

Docuerunt me imprimis viri doctissimi:

Francofurtenses:
F. W. Otto, Reinhardt, Bruhn, Gelzer, Altheim, Lommel, Erh. Lommatzsch, Vernay †.

Monacenses:
Rehm, Stroux, Pfeiffer, Schwartz, Weyman †, Maurenbrecher, Sommer, Vossler, Lerch, Simon.

Bonnenses:
Jensen, Bickel, Marx, Herter, Schwyzer, Menzerath, Curtius, Platz, Delbrück, Dyroff.

Marpurgenses:
Lommatzsch, Friedländer, Rohde, Jakobsohn †, Jacobsthal, Auerbach, Alb. Schmidt, Frank, Mahnke.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias ago quam maximas. Praecipue vero Ernestum Lommatzsch, qui ad hanc materiam tractandam me invitavit neque in opusculo perficiendo opera et consilio me adiuvare desiit, grata semper colam memoria.

Sexies senos menses interfui proseminario philologico, bis fui seminarii sodalis ordinarius moderantibus Lommatzsch, Friedländer, Rohde. Praeterea quinquies senos menses proseminario Francogallico interfui, ad seminarium Francogallicum Auerbach aditum mihi dedit.

Examine publico pro facultate pueros docendi mense Februario anni 1935 superato in gymnasio Limburgensi studiorum referendarii munere fungor.